Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

1-507

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 02057 X

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

BIGA
QUÆSTIONUM
Theologico-Philoſophicarum

Quarum

I.

Sitne de ratione Creaturæ eſſendi novitas?

II.

Poſſitne creatura per omnipotentiam Dei abſolutam elevari, ut cauſa creationis ſit vel principalis vel inſtrumentalis?

Quas è lumine naturæ deciſas una diſſertatione complexus

Eruditorum judiciis ac cenſuræ ſubmittit

FRIDERICUS GRAMMIUS
Kil. Holſatus.

KILONI,
Typis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr. 1692.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

B.R.H.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

Per-Illuſtri, atque Excellentiſſimo

DOMINO

DN. JOACHIMO ab ALEFELDT

Hæreditario Domino in Bockhagen Olpenis, & Lockmarck

Reverendiſſimi, Sereniſſimi Ducis Regentis, Sleswici, Holſatiæ Conſiliario Intimo, Status & Cameræ, Supremoque Aulæ Minſtro ut & Præfecto in Trittou & Reinbeck &c.

DOMINO, PATRONO ac PROMOTORI ſuo ſumma cum obſervantia ætatem colendo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

ETſi Vir Per-Illuſtris & Excellentiſſime, quamprimum exiguæ hæ pagellæ & ſuæ tenuitatis oblitæ & meum detrectantes imperium privatis parietibus ultra contineri dedignarentur, ſed felicium librorum more in publicum affectarent iter; mihi Patronum iis circumſpicienti, ſub cujus umbra latentes ſi non invenirent gratiam, veniam ſaltem improſperi conatus impetrarent, ſtatim Tuæ dignitatis illuſtri atque excelſo loco ſitæ ſplendor eximius oculis obſervabatur, & velut fauſtum affulgebat ſidus: longum tamen & difficile, & quid Tuo deberetur faſtigio, & meæ conveniret infantiæ, ſeria æſtimatione perpendenti cum diffidentia ac timiditate interceſſit certamen, diuque ac multum conſilii incertus hæſitavi, num ſatis ex decoro foret tantum Nomen quale Tuum, quod exteri & indigenæ non minus ac ipſius virtutis conſecrant, in frontiſpicio collocare, præſagiente mihi animo, futurum ut & temeritatis & impudentiæ reprehenſionem incurrerem, temeritatis, quod fœtum ingenii mei immaturum & Gratiis minus propitiis ſuſceptum Orbis literati judiciis exponere auſus eſſem, impudentiæ vero, quod denſam caliginem ac plusquam Cimmerias tenebras, quibus involutus eſt, Tuo adoptivo ac mutuatitio lumine diſcutere non fuiſſem verecundatus. Nec etiam pudorem tam audaci conatui intercedentem unquam dimiſiſſem, aut rationibus in contrarium allatis paſſus eſſem expugnari, ni ſumma Tua humanitas ac ſingularis benevolentia omnium ſermone vulgata, ore celebrata cunctantem excitaſſet, ac diffidenti perſuaſiſſet, non peccaturum

rum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

rum me in Tuam Amplitudinem, ſi quæ jam dudum animum maxima admiratione implevit, eam propius nunc tenui quidem at ſincero tamen devoti pectoris argumento venerarer, ſummamque meam in Te obſervantiam & cultum hac occaſione publice profiterer. Quis enim tantas, tamque eximias, tamque illuſtri Theatro ſpectatas virtutes, quas ipſe Sereniſſimus Princeps dum agnovit, dum in altiſſimo honoris gradu collocavit, non modo, quid ipſe de Te ſenſerit, patefeciſſe ac declaraſſe, ſed qualem honorem ab iis, quos fata ſceptro ſuo ſubmiſerunt, exhiberi vellet, præſcripſiſſe videtur, non debita veneratione proſequeretur? Quem non tot excellentes ingenii ac naturæ dotes, quas univerſo, qua patet, Orbi Chriſtiano approbaſti, quas tot illuſtriſſimi Regum, ac Principum Legati ſuſpexerunt, in cultum Tui pertraherent, in admirationem raperent? Quis non ingentia merita, quibus non modo patriam ſed & regiones longo intervallo disjunctas tibi reddidiſti obſtrictas, quorum memoriam omnes excipient anni, nec ulla unquam delebit oblivio, non grata mente recolenda, & quantum virium permittit tenuitas, omni laudis præconio celebranda exiſtimaret? Quis reliqua bona ac decora, quæ & natura & fortuna tam larga manu in Te contulerunt, ut non liberales ſed prodigæ videri poſſint, contempletur, qui non eas agnoſcat prærogativas, quæ Virum adminiſtrandæ reip. natum omnibus numeris abſolvunt. Si enim natalium ſpectantur ornamenta, & generis nobilitas aliquam parere poteſt commendationem, illuſtris Tua proſapia, nunc quod Te tulit, multo illuſtrior, ea vetuſtate præcellit, ut non annos & luſtra, ſed integra numeret ſecula,

annales Cimbricos aut æquet, aut excedat, iisque temporibus floruiſſe cenſenda ſit, quibus Septentrionis gentes tardius manſuefactæ & ad humanitatis geniũ traductæ, primis literarum radiis illuceſcentibus culturam animorũ priſtina feritate morum exuta admiſerunt, fervoremque Martium, quo olim extra ſedes ſuas delatæ & per Galliam ac Italiam victricia circumferentes arma Auſoniæ genti innotuerant, temperamento Muſarum ac eruditionis mulceri ac leniri paſſæ ſunt. Sed hæc avorum ac proavorum claritas, etſi multis non partem, ſed ſummam Tituli in origine ponentibus ad gloriam abunde ſufficit, in Tuis tamen laudibus minimum occupat locum: tantum enim abeſt, ut à majoribus Tuis omni decore affluentibus ad Te ornandum quicquam haurias, ut etiam in Te ſit, quod ad illos redundet, nec quicquam iis proprio cenſu dives debeas imputare, niſi quod eorum nobilitas ſtimulos Tibi tantum admoverit, ac incitamentum fuerit ad eas artes perſequendas, quibus ea in Te clarius eniteret, & ad poſteros nova decoris ſpecie ornata transmitteretur. Cum autem nullæ artes majori ac ſplendidiori ornamento illuſtrare & quaſi coronare poſſint, quæ naſcendi ſorte obtigit, nobilitatem, præter literarum ſcientiam & rei militaris præſtantiam, quæ primo heroum ſive togatorum ſive ſagatorum, nomina è tabula plebis eruerunt, iisque in publica luce collocatis tiaras & paludamenta circumpoſuerunt: non ſine divini Numinis conſilio ac feliciſſimo Holſatiæ fato factum eſt, ut iis potiſſimum ſtudiis animum conſecraris, iisque artibus percolueris; quibus utrumque tempus reip. recte adminiſtrari poteſt, quæ non modo civitates condere, ſed & conditas conſer-

va-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

vare, ſalubribus legibus temperare, & omnibus bonis cumulare docent, ac ut in pace florent, ſic nec in bello obſoleſcunt, ſine quarum ope ac auxilio nullum imperium in eodem diu perſtabit faſtigio, nec ipſa arma ſatis feliciter tractantur. Quibus gradibus cum eo aſcendiſſes, ut mortalitati durum onus impoſuiſſe videreris tuo exemplo comprobans, nihil generoſo pectori ad ſummam eruditionis arcem contendenti eſſe invium, nec quicquam à natura tam alte conſtitutum, quo non humana induſtria queat eniti, & reliquis præterea virtutibus in eam, quam nunc cum admiratione omnium ſuſtines, perſonam cadentibus ita emineres, ut qualem alii ſupremi Miniſtri imaginem operoſe effigiant, & viri ſapientes in ſuis commendant ſcriptis, in Te vivis coloribus feliciſſime expreſſam liceret intueri, lauream quolibet triumpho ampliorem Sereniſſimi Principis judicio conſecutus es, qui tantas dotes publico Orbis comodo impendendas arbitratus in ampliſſimũ totius Europæ Theatrum Te produxit, & ut tanto ſub Hercule partem laborũ ſuſciperes, gubernaculis admovit iis temporibus quæ magnum Virum ut deſiderabant, ita oſtendere poterant. Hunc nactus campũ, in quo virtus Tua uſu & conſuetudine confirmata excurreret, hanc Tuis cogitationibus ac ſtudiis digniſſimam ſortitus provinciam talem Te præſtitiſti patriæ, ut omnium expectationem non modo abunde impleres ſed & ſuperares omniumque vota longe prægredereris, deque Te vere affirmari queat, Tuam togam quam multorum heroum bellica laude florentium ſagum longe fuiſſe feliciorem. Ut enim illa, quæ quotidiana ſunt in patriam beneficia, tacitus prætermittam, & quod minus uſitatum eſt, attingam: quis eſt, qui neſciat, quantas poſt ſupremum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

mum Numen & Sereniſſimum Principem, Tibi & quos tam præclari operis habuiſti ſocios, debeat gratias; quorum opera, induſtria, conſiliis, laboribus, curis, vigiliis ac ſtudiis effectum eſt, ut feralis illa ac dira tempeſtas, quæ ante triennium ipſi imminens ferrum ac flammam, vaſtitatem atque exitium minabatur, quæ totum Septentrionem maximis involviſſet tumultibus, ac ſumma imis miſcuisſet, in nos non detonuerit, ſed à Cimbriæ agris atque urbibus feliciter depulſa altis gentibus incubuerit, eamque inſolita quædam ac diu fruſtra exoptata ſerenitas exceperit, ipſo Parnaſſi noſtri Phœbo, quem infauſta Eclipſi ereptum omnium vota ac deſideria vocabant, poſt nubila lætum vultum iterum exerente, ac orbibus ſuis reſtituto novam caliganti Cimbriæ reddente lucem; qui quot tunc temporis extinxit faces, quot gladios condidit, quot Marte perituras à morte retraxit catervas, tot coronas, ſtatuas, arcus, trophæa ac triumphos meruiſſe cenſendus eſt. Nec minus Tibi, quem Magnus Patriæ Pater, Princeps ſemper Auguſtus ſuorum operum æternitate dignisſimorum adſumpſit Miniſtrum, eo nomine Holſatia ſe fatetur obnoxiam, quod iſta Diva, quæ olivam manibus gerit, illa omnium bonorum fœcunda genitrix feliciſſima iſta transactione, qua Patriæ Parentum animi in æternæ amicitiæ fœdus coaluerunt, nobis reſtituta, atque è cœlo in has terras deſcendens non velut hoſpitium ad breve tempus commorandi cauſa ſit ingreſſa, ſed ſedem atque domicilium hic fixiſſe videatur, nec tanti motus, qui multas Europæ provincias tam immaniter concuſſerunt, ut DEUM è machina expectent, noſtram quietem tur-

turbare, aut otium excutere potuerint: qua præſentis temporis felicitate erecta etiam de futuro bene ominatur, certa ſpe præcipiens fore, ut eadem tranquillitatis aura in poſterum ſibi adſpirante non minus pacis & ingenii artibus, quam bellica fortitudine exteris nationibus palmam præripiat, atque gemina hac gloria toti terrarum Orbi inclareſcat. Sed nec animus eſt, nec æquitas permittit, vaſtiſſimum tuarum virtutum omnem laudem excedentium campum infelici ſtylo ac exili ſermone ingredi, quas immortalitati jam dudum conſecratas albo æternitatis inſcribere, poſteris commendare atque imitandas proponere hiſtoriæ labor erit; quæ ubi ad noſtra pervenerit tempora, Te rerum Cimbricarum haud minimam partem ſemper deprehendet. Illud potius meum fuiſſet curare, ut politiori & eleganitori ſcripto tantæ auctoritati litare, comptius meæ qualiscunque diligentiæ ſpecimen Tuis oculis offerre, ac Excellentiſſimo Tuo nomine ornare potuiſſem: ad cujus magnitudinem tum demum fortaſſis fuiſſent attemperatæ hæ pagellæ, ſi nihil niſi quod ingenio perfectum, induſtria elaboratum, arte limatum ac publico profuturum in medium protuliſſent. Verum ut novo vere nemo eos expectat fructus, quibus autumnus ſe coṁendat, & flaveſcentis ac falcem vocantis meſſis aſpectus non niſi adulta æſtate mortales oblectat: ſic etiam à juvene ea non exigitur ingenii perfectio ac judicii maturitas, quæ virili ætati reſervata eſt, & ut plurimum canis demum capillis venerationem ac dignitatem parit. Itaque, quanquam infantiæ meæ optime mihi eram conſcius (nec enim mihi ipſi vana credulitate blandiebar) nihil tamen

men propterea à Te faſtidii aut perfunctorii affectus poteram vereri, quem ut generoſis mentibus ſolenne eſt, ſaltem præclaram voluntatem agniturum, & tenui huic cultui, qui Tibi exhibetur, benevola interpretatione dignationem additurum ſperabam. Quamobrem ingenti beneficio me ornatum putabo, ſi Vir Per-illuſtris atque Excellentiſſime operam meam ac ſtudium non omnino ſpreveris, ſed hoc obſequii mei, quod ſiſto ſpecimen, ſerena fronte exceperis, nec quod ſub Tui Excellentiſſimi Nominis Umbra ac tutela publicam lucem aſpiciat, fueris dedignatus. De quo cum ſingularis Tua humanitas me non ſinat dubitare, hac ſpe fretus DEUM Ter Optimum Maximum ſupplex veneror, ut qui Tantum patriæ ac Muſis deſtinavit Patronum, is muneri ſuo ac beneficio favere, perennitatem addere, omnia Tua facta ac conſilia eodem proſperitatis tenore rite moderari ac ſecundare, Teque nobile Cœli depoſitum & perennaturæ Tuæ gloriæ & ampliſſimæ provinciæ diu ſuperſtitem, ac inter alia Holſatiæ ornamenta ac columina omnium felicitati ſalvum florentem ac felicem velit conſervare. Sic vovet, ſic animitus precatur

Excellentiſſimi Tui Nominis

Cultor devotiſſimus

Fridericus Grammius.

Præfatio ad Lectorem

ETſi in ampliſſimo totius terrarum Orbis Theatro, in magna mundi, quem cernimus, univerſitate, in patentiſſima mortalium ſede atque domicilio, quod undique immenſus puriſſimi ætheris ambitus claudit, quocunque oculos convertimus, omnium ſenſuum præſtantiſſimum atque principem viſum tot innumeræ rerum pulcherrimarum ſpecies feriunt, tam illuſtris quotidie naturæ opes ſuas explicantis panditur ſcena, tot ſi cœlum ſuſpicimus, Solis, Lunæ ac reliquorum ſiderum ſine ulla erratione in hac ſublimi atque illuſtri arce decurrentium, ſi vero in terram obtutum defigimus, novarum formarum perpetuis elementorum pugnis ſe mutuo expellentium ſibiq; invicem ſuccedentium ſeſe objiciunt ſpectacula, ut nemo ſit, quem ſua incurioſitas aut ſtupor non plane infra hominem abjecit, & ad brutorum leges damnavit, qui non tot miraculorum ictibus pulſatus, tot imaginum ac ſimulacrorum aſpectu obſtupefactus, majus aliquid ſubeſſe, quam prima fronte crediſiſſet, ſuſpicetur, qui non excellentisſimi cujusdam artificis manum in præclaris hiſce operibus agnoſcat, & devoto pectore adoret : majus tamen firmamentum ac robur his divinæ ſapientiæ rudimentis accedere, hanc exiguo tantum fulgore emicantem veritatem ſole meridiano clarius eluceſcere, ac longe uberiorem hos ſcintillantes radios ſpargere lucem experietur, quicunque non tenui hoc initio contentus in limine atque veſtibulo ſubſiſtit, ſed cœptum iter ſtrenue perſequens in ipſa latentis naturæ adyta penetrat, & rerum quas cernimus genium ac indolem paulo accuratius excutiens adſpirante divinæ gratiæ aura eo tandem provehitur, (qui locus etſi multis difficultatibus circumſeptus non ta-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

men invius cenſeri debet) ut non infirma ac probabili conjectura, ſed certis notis ac indiciis fallere neſciis mundi & omnium, quæ in eo continentur, in exiſtendo novitate deprehenſa atque explorata creationem hoc quaſi ſipario viſum tamen transmittente involutam detegat; atque his veſtigiis facili deinde negotio ad Creatorem deducatur, his gradibus altius enitens ad ipſum Ter Optimum Maximum ſine θεομαχία tamen aſcendat. Damnanda enim prorſus atque ad Orcum ableganda eſt peſſima illorum ſententia, qui rectæ rationi indicentes bellum turpique ac infami Atheiſmo latam feneſtram & bipatentes quaſi valvas aperientes, Philoſophorum nomine plane indigni, eo veſaniæ proceſſerunt, eo impietatis ſunt prolapſi, ut non modo mundum hunc à nullo temporis exordio duxiſſe initium ſomniarent, ſed & illum plane à nulla ſuperiori cauſa in exiſtendo dependentem fingerent, nullam proinde creationem, nullam conſervationem agnoſcentes; quem autem (nec enim penitus iſta cum omnibus hominibus communis & naturæ altiſſimis infixa radicibus ad Numen aliquod venerandum propenſio poſt rationis uſum, citra tamen longi diſcurſus ambages ſuam exſerens vim potuit evelli) Deum machinæ huic præficiebant, in condendo orbe nihil aliud, quam quod confuſas & inter ſe permiſtas rudis materiæ partes diſcreviſſet & certo ordine quamque in ſuis collocaſſet ſedibus, præſtitiſſe arbitrarentur. In quem impurum gregem multi tam veterum quam recentiorum Philoſophorum Magnum Ariſtotelem, Philoſophorum anteſignanum ac Coryphæum, Peripateticæ ſcholæ ingens decus ac ornamentum rejicere non dubitant: licet fidiſſimi ipſius ſatellites ac defenſores, ut Magiſtrum ab hac ignominiæ nota vindicent, omnem moveant lapidem pro ipſius exiſtimatione tuenda quaſi pro aris atque focis decertantes. Nec minus à regia & λεωφόρῳ veritatis via immane quantum deflectebant, qui licet longe modeſtiores illam materiæ primæ ut & omnium rerum, quæ mundi appellatione comprehenduntur, eſſe tenuitatem, ut ſibi relictæ neutiquam ad actualem ut Metaphyſici loqui amant, exiſtentiam aſſurgere potuerint, non negarent: nihilominus tamen, neſcio quo ſidere afflati, quibus præſtigiis occœcati illas à ſupremo Numine productas

ductas ipſi coœvas exiſtere pertinaciter contendebant eas ratiuncel-lularum in aciem producentes copias,quæ uno poſſunt ſpiritu diffla-ri. Quos ſcopulos licet divinus ille Plato ſatis feliciter ſit præterve-ctus, quo minus tamen navigationis ſuæ curſum tenere & portum aſſequi potuerit, effecerunt abſurdiſſima æternarum Idearum fig-menta, (niſi hanc opinionem Ariſtoteles ambitionis œſtro percitus ipſi affinxerit, aut quæ optime ab ipſo erant prolata, in alienum detorſerit ſenſum) in quas ceu brevia & ſyrtes incidiſſe cenſendus eſt, quæ & gloriæ ipſius, quam alias apud poſteros eo nomine, quod i-pſo Argo centum gaudente luminibus fuerit oculatior, multum de-traxerunt. E contrario non tantummodo certum & exploratum eſt, oppoſitam ſententiam, quæ, ſi Ter Optimum Maximum exceperis, omnes res ab æternæ durationis eminentia excludit, verita-tem habere propitiam, ſed etiam illud non debet negari ejusmo-di notas atque Characteres iis tam alto ſulco eſſe impreſſos, quibus nata-les atque originem ſuam aperte confiteantur, novitatem in exiſtendo probent ac demonſtrent; ut ſi quis felici mentis indagine eos in-veſtigaverit, & rerum tenuitatem vetantem, quo minus infinitam durationem æquantes ab æterno exiſtere vel ſibi ipſis ad exiſtendum ſufficere potuerint, deprehenderit, fieri aliter nequeat, cum præterea à ratione ſit alienum, id quod per totam æternitatem ſub nihilo latitarit, ſibi ipſi contuliſſe exiſtentiam, nec etiam cauſarum infinita detur ſe-ries, quin æternæ veritatis harum aſſertionum convictus ad Ens aliquod ſupremum, immenſum, infinitum, omnis exiſtentiæ fontem ac ſcaturiginem, nempe Ter Optimum Maximum confugiat, illum communem rerum omnium cauſam, illum totius mundi, Cœlorum & terræ Creatorem & Architectum, illum ſui ipſius Auctorem agno-ſcat, & in hac concluſione beneficio præmiſſarum neceſſario vera-rum non minore evidentia quam in primis principiis ſub demon-ſtrationem non cadentibus acquieſcat. Ut adeo acu rem tetigerit, quicunque Poëtarum exiguis his verſiculis Creatoris majeſtatem ce-lebrat:

Et levis eſt ceſpes, qui docet eſſe Deum,
Oſtenditque ſuum quælibet herba Deum.

)(3 Hinc

Hinc etiam fieri videmus, ut Sacra Scriptura, quoties inſulſorum quorundam hominum Deum ſive vita ſive quod atrocius eſt, etiam doctrina (credo tamen ſaltem oretenus) abnegantium redarguit ſtultitiam, toties illos magnum & patentiſſimum naturæ librum omnium oculis expoſitum & majuſculis impreſſum literis, ad quarum ſenſum percipiendum nemini ſive literato ac docto, ſive plebejo ac indocto aditus ſit interclusus, inſpicere jubeat, toties ad verisſimum totius Orbis Creatorem ſignis haud dubiis docentis provocet teſtimonium, toties ad mutos monitores nos ableget, & Cœli terræque eloquia ac diſertiſſimam vocem præſtantiſſimi Oratoris facundiam longe ſuperantem omnibus commendet. Nec quicquam horum Magiſtrorum eloquentiam in tacendo exercentium laudi decedit, quod non illam ſcientiam omnibus in hac ſchola haurire contingat, (hoc enim paucis tantum eſt conceſſum) quæ ſyllogismis Analyticis armata horenda contrariæ opinionis, dicam, an inſaniæ & impietatis monſtra ac portenta debellare, & cathedrariis triumphis exultare poteſt; ſufficit enim, neminem qui non ipſe numeris ſuis deſit, oculos quaſi claudat, & erumpentem veritatem injuſte detineat, (quo tamen in caſu conſcientiæ reluctantis ſtimulos & veritatem hanc inſinuantis non poſſet ſuperare,) ex hac diſciplina prodire, qui non ejusmodi cognitione, quæ omnem oppoſiti formidinem excludit, ipſo Numine rationibus ingens addente pondus, & mentes mortalium velint nolint, in aſſenſum rapiente animum efferat imbutum, ut non è longinquo ſed præſentem Ter Optimum Maximum quaſi intueri ſibi videatur. Hinc etiam ipſe Apoſtolus Paulus ejusdem Numinis afflatu percuiſus omnem Gentilibus ſceleribus ſuis ac flagitiis ignorantiæ prætendendæ occaſionem præciſam eſſe graviter pronunciat, quod licet iis radiis, quibus Eccleſia mutuatitio Solis ſui lumine coruſca effulget, fuerint deſtituti, nihilominus tamen tantæ imaginis divinæ olim eheu deperditæ ſuperſint reliquiæ, ut haud contemnendam de Deo, attributis divinis, & ſanctiſſima ipſius voluntate viribus naturæ acquirere potuerint notitiam, quæ licet ſalutaris non ſit Umbra potius Religionis quam religio appellanda, hunc tamen haud exiguum præſtet uſum, ut ſi quis hanc in Cimmeriis te-

ne-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

nebris internitentem Stellulam non ſpernat, ſed ipſius ductum rite ſequatur, propius certe ad Numen ſupremum accedat, ſe vero miſerum eſſe agnoſcat, & Sp. S. ſtimulos admovente miſericordiā Dei imploret; qui deinde pro ſingulari ſuo , quo omnes ac ſingulos homines complectitur favore , ſingularem gratiam, qua ad longe perfectiorem eamque ſalutarem cognitionem provehatur, nemini ſit denegaturus. Quæ cum accuratius paulo perpenderem, quamprimum arma ſolitudini atque umbræ aſſueta in publicam lucem proferre, & eximium ancillantis Philoſophiæ in Theologia uſum inſigni quodam ſpecimine pro virium mearum tenuitate declarare conſtitueram, longo argumenti alicujus quærendi labore me ſublevatum eſſe ſentiebam. Ipſa enim hæc materia, de qua ὡς ἐν παρόδῳ & velut aliud agens pauca in medium protuli, nempe rerum æternitas quamplurimis veterum Philoſophorum falſo credita animo ſeſe offerebat, meque ad tantæ audaciæ genium hand perfunctorie trepidantem blande invitare viſa eſt, ut in ea oppugnanda vires ingenii periclitarer; quin & diu reluctatum tandem impulit, ut omnibus impedimentis, quæ me deterrere poterant, ſpretis duram hanc provinciam in me ſuſciperem. Cum autem vaſtiſſimum illum, quem peragrare deberem, campum oculis perluſtanti duæ ſeſe aperirent viæ, quarum altera omnes res, quæ totum hujus mundi ſyſtema conſtituunt, vel appellatione univerſitatis continentur , earumque naturam communem vel affectionem eſſentialem creatione tantisper per mentis operationem ſecluſa accuratius excutientem primum ad ipſarum in exiſtendo novitatem , per hanc ad Creationem , & ſic tandem ad Creatorem ac ſupremum Numen deducit ; altera vero oculos ab hac Cœlorum & terræ machina deflectentem , mentem ab omnibus ſingularibus & aliis rerum affectionibus avocantem & tantummodo communem naturam creaturarum , ut ſunt creaturæ, animo contemplantem in aliquo primo momento atque termino, quo duratio ipſarum coercetur, ſiſtit, ut quamvis longitudinem ejus certo ac definito paſſuum numero nequeat determinare, illam tamen finitam eſſe non poſſit dubitare; factum eſt, ut in hoc bivio aliquandiu hærerem, incertus, utra pedibus eſſet calcanda via, donec tandem longitudo prioris efficeret, ut in poſte-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

poſteriorem brevitate itineris mihi ſeſe commendantem declinarem, atque hanc quæſtionem : Utrum de ratione Creaturæ ſit eſſendi novitas an vero non, vel an Creatura à Deo ex æternitate potuerit creari, in proſcenium adducerem. Antequam autem ulterius progrediar, culpam temeritatis aut audaciæ ſimiliumve vitiorum, quæ in hoc propoſitum meum cadere poſſe viderentur, deprecandam eſſe intelligo. Equidem jam ab initio non eram neſcius tantam molem in meos ruituram eſſe humeros, cui ſuſtinendæ vix eſſent pares, (nec enim mihi ipſi fucum faciebam aut uana ſpe animum lactabam) ſed quantum juſti timoris mea imbecillitas mihi afferebat, tantum addebat fiduciæ illa præclarorum virorum in excipiendis honeſtorum juvenum conatibus benevolentia ac favor, quo cum ante me alios, qui ingenuarum artium ſtudiis ac amore ducti vires ſuas tentaſſent, complexi fuiſſent, eos mihi defuturos æquos rerum arbitros ac cenſores, qui etiamſi magnis auſis exciderem, in optimam tamen partem meum ſtudium ac laborem interpretarentur, cur deſperarem, nihil reperiebam cauſæ. Præcipue tamen argumenti, quod tractandum ſuſceperam, gravitas me movebat; etſi enim ſimul ac Chriſtianæ religionis radii Orbem illuſtrare cœperint, inter alia veterum gentilium commenta hæc de æternitate rerum opinio evanuit atris ſeſe immiſcens tenebris, non multo tamen poſt paululum immutata alioque ornata veſtitu in publicam lucem iterum prodire, locumque priſtinum recuperare auſa eſt quamplurimis ipſam Philoſophis ac Theologis revocantibus, qui licet non irent infitias, nullam creaturam Deo coævam extitiſſe, nihil tamen obſtare, quo minus ab æterno Creatori ſuo conjungi potuerit, mordicus propugnabant: quæ cum etiamnum apud plurimos inveniat applauſum, ad honorem Numinis pertinere viſum eſt, ut hoc æternitatis phantaſma ſuæ magnitudini umbram faciens deſtrueretur ac diſſiparetur, quo clarius divinæ gloriæ Majeſtas eluceſceret. Quibus enim in poſterum telis in confodiendo Atheiſmo utemur, ſi optima cauſa victricibus ſuis armis, quibus de harum belluarum furore triumphet, ſpolietur. Quibus documentis mundum hunc, quem ex adverſariorum ſententia omnes temporum metas excedere non implicat, aliquando non fuiſſe, Atheo perſuadebimus aut fidem

fa-

faciemus. Et ſi in Theologiam revelatam tranſire placet, quis non videt optimum ac pulcherrimum pro divinitate Chriſti aſtruenda nobis vel plane perire vel ſaltem non mediocriter labefactari multumque ſplendoris amittere argumentum, ſi vel latum unguem à meliore ſententia recedamus. Quo enim ore ad æternitatem provocabimus, quam etiam in creaturam cadere potuiſſe conceſſimus. Quis autem tam ingentis confidentiæ erit, qui omni actualitate præciſa ex ipſa æternitatis natura cum prædicato per ſe ac neceſſaria connexione cohærentis ducturus concluſionem ſub majori particulari de Salvatore noſtro gratioſiſſimo ſubſumere audeat? Nec eſt, quod quiſpiam excipiat, in poſteriori exemplo nihil roboris argumento noſtro decedere, ſi vel maxime æternitatem creaturæ poſſibilem admitteremus, nullam enim à potentia ad actum legitimā procedere conſequentiā, & quamvis creatura potuiſſet ex æternitate creari, nondū tamen eſſe evictū, illā vel ſaltē quandā ipſarum nullū in exiſtendo agnoſcere principium, ſed potius contrarium abunde è Sacris conſtare; unde etiam ab hac theſi nihil eſſe metuendum periculi, qui exinde, quod Salvator ab omni æternitate re vera & actu extitiſſet, duceremus argumentum: verum, ſi ex ſumma liberalitate hoc ipſi largirer, à potentia ad actum, quemadmodum fere ſemper ſic etiam hoc in caſu non valere conſequentiam, (quod tamen à veritate quam longiſſime aberrat) quam facile foret inſenſiſſimis Chriſti hoſtibus Arianis, ſi ab inferis excitarentur, hanc argumentationem eludere, qui cœteras quidem creaturas omnes (abſit verbis blaſphemia) in tempore à ſupremo Numine conditas non vocantes in dubium, Chriſtum tamen ſingulari hac gaudere prærogativa, ut ſolus Deo Ter Optimo Maximo coævus, ſicque omnium creaturarum πρωτότοκος ipſe tamen creatura eſſet, generationem cum creatione confundentes peſſime eructabant; in qua falſa ac impia aſſertione refutanda vereor, ne hoc bonæ cauſæ præſidio erepto, ſi non aliud in aciem produceret argumentum, valde deſudaturus eſſet. Sed optime ſane res ſeſe habet, quod Eccleſia Dei de omnibus hoſtium conatibus in perpetuum triumphatura non obſcuras ac probabiles, ſed meridiano ſole clariores pro tuenda Salvatoris divinitate rationes in medium poſſit proferre,

nec dubiis ac incertis ſignis eam colligat, ſed ejusmodi nitatur argumentis, quæ omnem ferociam adverſariorum facili negotio compeſcere, ac cuilibet aſſenſum poſſunt extorquere: in quibus non ultimum ſibi vindicat locum hoc ab æternitate ipſius deſumptum; quam non cadere potuiſſe in creaturam demonſtraturus & ſummam concordiam veræ Philoſophiæ cum Theologia amice conſpirantis declaraturus hoc mihi ab æquitate L.B. certo certius polliceor, fore, ut quæ cauſæ facile alias meo pede me metientem in publicam lucem protraxerunt, eæ erroris ac infantiæ meæ ſint impetraturæ veniam, ſi non omnia elimatiſſimis ſeculi hujus ſcriptis aſſueto ſeſe approbare, aut calculum ipſius mereri potuerint. Quæ cum me ſpes jam à principio ſuſtentaret, & animum ætatis verecundia ac virium tenuitate dejectum erigeret, non tantummodo hunc laborem lætus aggredi, ſed etiam plus oneris, quam à principio animus erat, ſuſcipere non dubitavi aliam non minus famoſam, & quæ priorem quadam affinitate attingit, quæſtionem ſub examinis incudem vocans: *Poſſitne Deus creaturam per abſolutam omnipotentîam elevare, ut cauſa creationis ſit vel principalis vel inſtrumentalis?* non minus indignum ratus, tantum ſibi ſumere creaturam, ut ſe Deo creanti ſubordinari & in ſocietatem eminentiſſimæ hujus actionis venire poſſe non dubitet aſſerere, quam eandem ad poſſibilem æternitatem aſpirare. Ut enim taceam pariter hac aſſertione, ſi vel maxime ad creaturam munere cauſæ inſtrumentalis fungentem reſtringatur, non mediocre Theologis noſtris afferri incommodum, nec minus Achilleum, ac prius erat, ipſis, quo divinitatem Salvatoris probent, eripi argumentum, cum niſi aliunde jam conſtet Chriſtum eſſe θεὸν εὐλογητὸν εἰς αἰῶνας, quando per ipſum omnia creata eſſe dicuntur, cauſam inſtrumentalem non intelligi demonſtratu difficile ſit; etiam, quomodo hac difficultate, ſi ab initio conjecturis uti liceat, ſe poſſint expedire ſententiæ hujus *Patroni*, non video: quod cũ quælibet creatura ab alia ſi non pari, at perfectionibus longe ſuperiori, (ubi enim nullus perfectionum datur terminus, nulla à termino datur finita diſtantia) hoc modo poſſet produci, ab infinita potentia nullum opus poſſe produci ſequeretur, quod non etiam in creaturarũ finitas caderet vires, quin & potentiam finitam & infinitam ratione effectuum eſſe æquales hoc unico tantum intercedente diſcrimine, quod finitam potentiam in agendo ab infinita ſive cauſæ principalis ſive inſtrumentalis obeuntem vices dependere neceſſum eſſet. Sed hac non Analytica ſed probabili ſaltem ratione in anteceſſum meliorem commendaſſe ſententiam ſufficiat. Cœterum cum quæcunque pro amplificanda Chriſtianæ religionis dignitate ſunt ſuſcepta, optimis gerantur auſpiciis, nec Ter Optimus Maximus ejusmodi labores, quibus adorandi ſui Nominis gloria promoveatur, unquam auxilio ſoleat deſtituere: quin etiam hoc in negotio Supremum Numen rite invocatum conatus meos ſublevaturum, ac divinæ gratiæ Zephyro proſecuturum eſſet, dubitandum non exiſtimavi. Qua fiducia lætus animos mihi ſumo & omiſſis ulterioribꝰ verborum ambagibus rem ipſam aggredior, ab ea tractationis primordia petens quæſtione, quam in frontiſpicio præcedentem

SECTIO I

exhibet:

Utrum ſit de ratione Creaturæ eſſendi novitas, an vero non?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

Ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅς ἐστι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ πρῶτος, καὶ ὁ ἔσχατος, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ.

§. I.

CUm ea ſit humani ingenii anguſtia, iisque mens noſtra corporis ergaſtulo incluſa retardetur incommodis, ut non uno ſaltu, (quod puris ſpiritibus atque ab omni materiæ ſocietate ac commercio ſecretis conceſſum eſt,) viam ad veram cognitionem & ſcientiam ducentem queat emetiri, ſed pluribus gradibus opus habeat; quorum primus eſt, quæ notionum ſimplicium apprehenſione abſolvitur operatio, ad ſecundam aditum ſtruens, quæ naturæ æmulatrix modo res tanquam diverſas ſibi oblatas quaſi conglutinat atque in unum velut corpus compingit, modo non tantum conceptu, ſed etiam extra intellectum diverſas dividit atque ſeparat, donec tandem ſuperveniente diſcurſu atque ratiocinatione perficiatur: certe dubitari non debet, quin in tradendis ingenuis artibus atque diſciplinis ea ſit optima ratio, ac omne punctum ferat, quæ ſuas demonſtrationes ad hanc quaſi normam atque amuſſim exigit, hanc Cynoſuram unice ſequitur, hoc naturæ exemplar inconnivis oculis intuens, quantum humana imbecillitas permittit, ejus imaginem in opere ſuo quam feliciſſime exprimere conatur. Quam legem cum & mihi dictam eſſe putarem, ſimul ac animus virium diffidentia inter ſpem metumque fluctuans in certa ſententia conſtiterat, non tantum communis conſvetudo omnium eorum, qui doctrina ac eruditione cenſentur, calculo ap-

approbata, ſed etiam ipſa neceſſitas, ne ſtatim à carceribus peccare deprehenderer, efflagitare ac imperare viſa eſt, ut ab evolutione ſimplicium terminorum, quibus ceu cancellis hæc diſſertatio circumſcribitur, tractationem materiæ exorſus poſtmodum integras propoſitiones primum rei, de qua agitur, conceptum tum ingredientes tum concomitantes, ſubjicerem; quibus tandem ſupremam manum imponent, quæ tertiam mentis operationem ordine licet poſtremam, dignitate tamen primam conſtituentes è prioribus prono alveo fluunt, atque legitima conſequentiæ neceſſitate poſſunt deduci.

§. 2.

Inter ea vero, quorum explicatio meam operam jure meritoque expoſcit, primum locum ſibi vindicat CREATIO, non tantum propterea, quod omnes res, ſi à Ter Optimo Maximo diſceſſeris, huic tam exiſtentiam ſuam, quam quicquid eam conſequitur, acceptum referre debent; ſed quoniam inſuper centrum quaſi ac meta ſuſcepti laboris eſt, quorſum omne quod proferam, collimabit, cuique omnia argumenta, quæ publicæ disquiſitioni ſubjecturus ſum, militabunt.

§. 3.

Omnino autem mihi habeo perſuaſum, neminem adeo, non dicam, ab eruditione ſed à ſenſu communi fore remotum, cui non ſtatim frons atque inſcriptio harum pagellarum ſuggerat, non de creatione in ſenſu Grammatico accepta ſermonem hic eſſe, quomodo e. g. Reges, quos libera gentis ſuffragia ad purpuram ac regale faſtigium provehunt, & Duces bellici, nec non reliqui Magiſtratus, ut conſules prætores &c. quando onus regendi in eorum humeros eſt devolutum, creati dicuntur; nec me jam diſputare de mirabili quadam Metamorphoſi rudis atque inhabilis materiæ vel Subjecti virtute potentiæ Hyperphyſicæ in aliam naturam, à qua immane quantum diſtabat, migrantis, qualis eſſet, ſi quis lapidem in panem mutaret, aquam in vinum converteret, mortuos in vitam revocaret, nec non, ſi exciſa tota Judæorum gente jactura poſteritatis Abrahamo è lapidibus à Deo miraculoſe repararetur;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

qualis itidem erat, cum ſummum Numen in naſcentis mundi incunabulis ex informi Chao hanc pulcherrimam hujus univerſi machinam fabricaret, ac paulo poſt primi parentis, quem orbi terrarum dominum deſtinarat, corpus è gleba terræ fingeret: ſed vocem hanc nobis deſignare hoc loco actum vires naturæ quam longiſſime excedentem, quo res aliqua plane è nihilo nulla cauſa materiali præjacente producitur, à non eſſe ſimpliciter ad eſſe progreditur, ac totam Entis rationem accipit. Unde quilibet facile aſſequitur, creatorem eſſe illum, a quo eminens hic influxus procedit; creaturam vero, ad quam iſte terminatur, ſive quæ è nihilo producitur.

§. 4.

Etſi autem animo firmiter hæc ſententia inſedit, quam etiam in præſenti defendendam atque propugnandam ſuſcepi; nullam creaturam potuiſſe exiſtere, quæ non aliquando ſub nihilo latitarit, nec eandem à Deo itidem per abſolutam omnipotentiam in conſortium ac ſocietatem nobiliſſimæ hujus actionis (puta creationem) poſſe adſciſci: definitione tamen à neutra harum prærogativarum volui excludere, cum ob hanc cauſam, ne quid in ea extaret, cui ratio à priori poſſet aſſignari, tum potiſſimum propterea, quod id ipſum in diſſertatione hac quæritur; ſitne de ratione creaturæ novitas eſſendi, &, poſſitne creatura à Deo per potentiam abſolutam elevari, ut creationis cauſa ſit vel principalis vel inſtrumentalis, in omni autem demonſtratione Subjectum ab affectione demonſtranda diſtinguendum, nec unquam datum cum quæſitis, ut Mathematici loqui amant, confundendum recta ratio dictitat.

§. 5.

Qua creaturæ explicatione præmiſſa ordo, quem in Problematibus hiſce excutiendis conſtitui, me ad contemplationem æternitatis ſive oppoſitæ novitatis eſſendi deducit. Cœterum, cum infantia mea hac vice ſupra creaturæ tenuitatem utramq; hic facientis paginam non aſcendat, nec ſignificationem vocabuli ultra quam ſubſtrata materia permittat, extendi fas ſit, etiam me tacente palam erit, non *interminabilem vitæ totam ſimul*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

& perfectam poſſesſionem, quam ſoli Deo propriam mens humana ſtupet atque tremiſcit, ipſi Angeli admirabundi venerantur, ad ſphæram diſſertationis hujus revocandam, ſed infinitam quandam durationem à parte ante hic intelligendam, qua res ita exiſtit, ut exiſtentiam ipſius nunquam non-exiſtere ordine temporis anteceſſerit, nullumque initium ſuæ durationis agnoſcat. Unde eſſendi novitas huic æternitati é diametro repugnans notat Ens, cui tribuitur, ſic eſſe ut aliquando non fuerit, ſuamque originem ad certum durationis punctum referat. Modum ſi adjunxeris determinantem, qualis inter ſubjectum & Prædicatum intercedat habitudo, emergit tandem Status controverſiæ: *An posſibile ſit creaturam eſſe æternam?* Vel quod eodem recidit: *Utrum neceſſe ſit creaturam aliquando in exiſtendo fuiſſe novam, an vero non?* Sed nemini non apparet, hic omnem temporis differentiam eſſe excludendam, alioquin ſi eam includere, & ad certū aliquod momentum ſive verum ſive imaginarium reſpicere velis hoc modo formanda erit quæſtio: *an creatura potuerit eſſe æterna?* Unde hoc incommodum facili negotio declinatur, ſi ſenſus propoſitionis hujus hiſce verbis efferatur: *Sitne de ratione creaturæ novitas eſſendi*, ita ut hi termini Creaturam eſſe, & æternum eſſe, includant repugnantiam contradictionis, atque æternitas involvat independentiam, creatura vero eſſe poſt noneſſe, ſeque adeo mutuo deſtruant & evertant.

§. 6.

Et hæc eſt decantata iſta & magno animorum motu agitata controverſia, quæ ab omni ævo doctorum ingenia torſit, induſtriam exercuit, multorum conatus & calamos provocavit, aliis negativam, aliis affirmativam defendentibus. Quamvis autem ea ſententia, quæ creaturis poſſibilem æternitatem denegat, tanto ſit ſuperior, ut non modo veritatem habeat propitiam, nec ubi rationibus diſceptatur, de palma atque victoriæ inſignibus poſſit periclitari, ſed etiam majori probabilitatis ſpecie vel fugitivo ac tralatitio oculo intuentibꝰ ſe commendet, multasq; præterea inexplicabiles lites ac controverſias uno velut ictu amputet, ubi è contrario altera nihil humani ſapere, nec veram ac genui-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

genuinam æternitatem, ſed horrendum potius æternitatis monſtrum majoribus hoſtiis procurandum amplecti atque exoſculari videtur ingentium inſuper difficultatum gurgites ac fluctus aperiens: factum tamen eſt, neſcio, quo fato, ut haud ſane pauci tam Theologorum, quam Philoſophorum hanc falſam animo imbiberint opinionem, non eſſe de ratione creationis, ut terminus per eam productus aliquando non extiterit, ſed potuiſſe creaturam Deo exiſtere coævam, eamque etiam palam profiteri ac mordicus defendere non vereantur. Ac certe, ſi virorum eruditionis gloria florentium auctoritas, multorumque in idem placitum conſenſus dogmati cuidam commendationem parere, aliorumque applauſum provocare poteſt: hoc ſane tot titulis tantisque nominibus ſuperbit, ut nihil cauſæ ſit, cur intra pectoris penetralia latere, publicamque lucem refugere debeat. Propugnationem enim ejus ſuſceperunt, quos & antiquitas ſuſpexit, & recentior etiamnum admiratur orbis; Thomas Aquinas, Suarezius, Auctores Collegii Conimbricenſis, & referentibus iisdem, Durandus, Argentinus, Gregorius Hiſpalenſis, Ægidius, Hervæus, Capreolus, Cajetanus, Scotus, aliique ſectatores Thomæ. Agmen claudant, qui ætati noſtræ propiores ſunt, Scheiblerus, Martinus, Pererius, quibus alii poſſent adjungi, ſtupenda eruditione ac doctrina jamdudum omne laudis præconium ſupergreſſi, ni nomina eorum honorificentiori occaſione appellanda ſupprimere maluiſſem, hoc excellentibus ipſorum virtutibus ac meritis in remp. literariam deberi exiſtimans, ut hujusmodi nævus ipſis omnino ſit condonandus.

§. 7.

Sed ne tantorum virorum ſplendor oculis cujuſpiam caliginem offundat, aut etiam iniqua præjudicia juſtam litem onerent, ſtatim in laboris mei limine ſententiam meliorem uberiori explicatione illuſtrandam, atque ſic lectoris animum, quo incorruptius de tota controverſia poſſit judicare, votis meis præparandum eſſe intelligo. Nemo igitur in hunc errorem ſeſe abripi patiatur, ut putet hac theſi, qua creaturam Deo coævam exiſtere poſſe negamus, aut libertatem Entis liberrimi vel

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

tolli vel imminui, aut immenſam ipſius omnipotentiam certis limitibus coerceri: ita ut Deus vel neceſſitate quadam determinato inſtanti adſtrictus neque citius neque tardius divinitatem ſuam admirando creationis opere aperire potuiſſet, vel ſi hanc conſequentiam deprecaremur, ipſius potentia tamen certis temporum metis eſſet circumſcripta, atque ad aliquod momentum deveniendum, quo Deus vel virtutem ſuam non potuiſſet explicare, vel ſit tentaſſet, nullus effectus ſubſecuturus fuiſſet. Tantum enim abeſt, ut hæc ſequela inde poſſit elici, atque vel libertati præſcribantur leges vel omnipotentiæ pangantur termini, ut utraque potius cum ipſa æternitate vindicetur & in ſummo atque auguſtisſimo dominationis throno collocetur, everſo nimirum periculoſo diſſentientium dogmate atque placito, qui etſi optima intentione ad eundem finem eandemque metam non tamen eadem, ſed diverſa imo contraria via præpoſtero impetu atque inconſulta ratione tendunt non animadvertentes ſe hoc modo in iſtud extremum, à quo tantopere abhorrent, incurrere, ac dum Deum ſic potuiſſe creare, ut non antea atque adeo, prius quam creaſſet creare potuiſſet, aſſerunt, libertatem & omnipotentiam circumſcribere, & quod magis mireris, æternitatem ipſam, quam de alieno liberales creaturæ altera manu dederunt, altera huic & illi eripere. Jam quæſo quilibet animi ſui intret abyſſum, ac ſecum ipſe deliberet, quis è contrario dignior & libertate & omnipotentia & æternitate Dei poſſit aſſignari conceptus, quam ſi oppoſitam amplectamur ſententiam contendentes, ſi quis iter aliquod ingenii remigio ſuſciperet, ac à puncto creationis verſus omnem æternitatem à parte ante progrediens in infinitum curſum ſuum perſequeretur, & vel quolibet gradu aut momento tot millionum myriades, quot, ſi numerum hunc in infinitum augeres, unquam eſſent emerſuræ, momentorum emetiretur, nunquam tamen poſſe perveniri ad tale imaginarium momentum, quod non ſanctisſimum Numen creando & creatura exiſtentiam accipiendo tot imaginariis momentis, quot, ſi quæ peragraſſet, in infinitum ratione numeri & durationis multiplicarentur, prodirent,

rent, & ſic porro in infinitum, antevertere potuiſſent, ac ut uno verbo me expediam, nec ipſum Deum intueri aut deſignare poſſe in omni æternitate à parte ante tale inſtans, quo ita potuiſſet creaturam producere, quin iſtud punctum in infinitum infinita momenta imaginaria antecesſiſſent, tot vero realia, quot ipſe Deus numero definire ac comprehendere nequeat, antecedere potuiſſent, atque adeo tale inſtans, quod nullum punctum imaginarium prius agnoſcat, eſſe merum σιδηρόξυλον, Chimæram ac contradictionis involvere repugnantiam. Cui concluſioni, quæ hic tantum proponitur infra §. 14. fuſe probanda, non languidam facem accendit perpetua iſta felicitas ac miſeria hanc vitam exceptura, quarum alteram Spiritus S. veris Chriſti ſectatoribus ac diſcipulis in fide in ſalvatorem animam exſpirantibus pollicetur, alteram autem è contrario in incredulitate atque reatu de ſtatione vitæ decedentibus minatur, utramque nulla annorum fuga, nullo labentium ſeculorum decurſu terminandam. Quemadmodum enim hic nullum naſcetur momentum, cui non aliud ſtatim in infinitum ſuccedat, ſic etiam in æternitate à parte ante nullum imaginarium poteſt concipi momentum, quod non à termino infinitis diſtet paſſibus. Nec minus hanc noſtram ſententiam doctrina de omnipotentia divina illuſtrat, quæ quamvis ſit infinita, & ad infinita ratione numeri ac perfectionis ſeſe extendat objecta, nihilominus tamen repugnat, ut vel multitudo creaturarum actu infinita, vel tantæ perfectionis producatur creatura, qua non alia nobilior ac perfectior poſſit produci. Ut adeo, qui hic à nobis divortium faciunt, inter infinitum actu vel Categorematicum, & poteſtate vel Syncategorematicum diſtinguere non potuiſſe videantur.

§. 8.

Poſtquam ſic Rubiconem trajeci, cominus nunc cum patronis adverſæ ſententiæ congrediendum erit, qui licet tantum afferant dignitatis, ut non debeant contemni, minus tamen rationis nobis poſſunt opponere, quam ut magnopere ſint pertimeſcendi. Fundamentum enim ac præſidium malæ ſuæ cauſæ

collo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

collocaverunt in vana atque inani perſuaſione, qua putant, creaturæ æternitatem neque à parte Dei, neque à parte creationis, neque à parte creaturæ involvere contradictionem, atque adeo, cum nihil omnipotentiam divinam poſſit effugere, niſi quod rationem Entis non habeat, injurios eſſe in eminentiam ſummi Numinis, quotquot æternitatem creaturæ in dubium vocantes Ter Optimo Maximo hanc gloriam irent detractum.

§. 9.

Verum antequam nodum hunc, ut nimis creduli exiſtimant Gordium, ſolvere, ipſorumq; oculis hanc repugnantiam ex parte effectus, cui æternum eſſe repugnat, ſubjicere aggrediar, operæ pretium erit ſub examinis incudem vocare rationes, quibus alii motæ difficultati occurrerint, atque theſin hanc impugnarint. Cum enim veritas ſemper ſui ſoleat præbere veſtigia, nec unquam errorum tenebris ac ignorantiæ nebulis ſic poſſit involvi, quin fulgore ſuo ac radiis ſaltem quorundam feriat oculos, ita etiam contraria ſententia etſi à multis magno cum faſtu rejecta atque exilio mulctata in tanta tamen temporum iniquitate non pauciores ſemper ſui invenit cultores, qui æſtu communis opinionis non abrepti eam quam honorificentisſime exceperunt, ac ut à contemptu vindicarent, cum adverſa parte arma conferre non dubitarunt: etſi non eſt diſſimulandum, quorum libros inſpiciendi mihi fuit copia, omnes cauſam ſuam ſic egiſſe, ut adverſarii non tam victi, quam triumphati eſſe videantur.

§. 10.

Argumentum autem palmarium, quod ipſi ac, qui iis ſe anteſignanum ac Coryphæum præbet Adrianus Heerbord duabus diſputationibus eum in finem concinnatis rationes ſuas complexus, in aciem educunt, deſumptum eſt à ſublimitate creationis, cujus objectum tale eſt, ut à non-eſſe ſimpliciter ad eſſe progrediatur, omnemque Entis rationem a ſua cauſa accipiat. Unde porro hanc inferre volunt concluſionem, cum per creationem res ex abyſſo nullitatis ſit protracta, eam antea nihilum ſive non-Ens fuiſſe, cujus autem eſſentiam non-eſſe anteceſſerit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

ſole meridiano clarius eſſe, illius duratione͂ non æternam, ſed certis temporum metis eſſe incluſam; *Quod enim ab alio exiſtentiam accipiat, antea eam non habuiſſe, ſed nihil fuiſſe, cum autem repugnet, rem aliquam eſſe ſimul nihil & aliquid, neceſſe eſſe, ut nihil & aliquid ſe mutuo conſequantur.* Verum cum ii, qui affirmativæ ſubſcripſerunt, hanc phraſin ex nihilo produci ita interpretentur, ut non ſucceſſionem unius poſt aliud hic velint intellectam, ſed vel negative inferri independentiam à Subjecto ſive cauſa materiali, vel habitudinem ad terminum à quo, qui debet eſſe ſimpliciter non-Ens, & ſic tantum ordinem naturæ, non vero temporis denotari contendant, ut creatura, niſi exiſtentiam à cauſa ſuperiori accepiſſet, revera nihil fuiſſet: ſupra memoratus autem Heerbord, & qui cum ipſo faciunt, medio ſuo termino non novum ſubmittant ſubſidium, plane magnis auſis excidiſſe, imo extra teli jactum pugnaſſe cenſendi ſunt.

§. 11.

Nec enim Suarezii ſociorumque ipſius exceptio omni veriſimilitudinis umbra deſtituitur: ampliſſimum enim Phyſices latifundium exempla oculis noſtris ſubjicit, quæ ut abunde docent, non eſſe neceſſarium, ut abſentia formæ in Subjectum introducendæ actualem unionem requiſitam vel uno momento antecedat, cum nullum ſit dubium, quin ſi materia omni forma poſſet deſtitui, & agens actum ſuum ſuſpendiſſet, privatio locum fuiſſet habitura, quæ tamen per ingreſſum formæ expellitur, non quod ſubjectum, poſtquam contrariam formam dimiſit, vel momento ſaltem altera ſuccedente caruerit, ſed caruiſſet, ni privatio, quæ ſubſequi debebat, occupata fuiſſet: ita etiam, ſi propter immenſum ſaltum, quo extrema comparationis à ſe invicem ſunt diviſa, evincere non poſſint, non eſſe de ratione creationis eſſendi novitatem, certe tamen conceptum juvare, habitudinem creaturæ ad creatorem declarare, ac veri ſpeciem conciliare videntur. Sed multo majorem ſententiæ ſuæ lucem affundere putem, qui non tam longe à præſenti materia digreſſi conſervationem divinam in ſubſidium advocant; nam quemadmodum hæc omnium Phiſophorum judicio non re, ſed

 ratio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

ratione tantũ à creatione differens, quapro pter etiam continuata dicitur creatio, non poſtulat, ut id, quod per eam actuatur, antea non fuerit, ſic etiam videri poſſet, non eſſe de ratione creationis in ſua latitudine, ut terminus per eam productus ſub nihilo latitarit, ſed tantum comitari illam, quæ in tempore fit, temporalitate autem ab æterna creatione excluſa etiam hanc eſſendi novitatem debere exulare.

§. 12.

Fortasſis etiam Adrianus Herbord, qua fuiſſe ingenii ſagacitate in his rebus verſatisſimum credi fas eſt, hanc aſſertioni ſuæ formidandam procellam animo proſpexit, ideoque aliam rationem, quæ alteriviam muniret, præcedere juſſit, è generali natura effectus argumentans, cujus ea ſit ratio, ut non poſſit eſſe æternus: quod alio loco in eadem diſp. ſic effert: *impoſſibile eſſe, ut effectus ab aliquo extra efficientem cauſam productus in eodem momento ſimul ſit cum cauſa.* Hic autem, ubi totis viribus oppoſitam ſententiam ſibi ſuſcepit opugnandam, talem adornat Soriten: *quod factum eſt, fieri deſiit, quod fieri deſiit, aliquando fuit in fieri, quod in fieri eſt nondũ eſt E. quod factũ eſt, aliquando non fuit; quod aliquando non fuit, non eſt æternũ. Creatura eſt facta, & non eſt æterna.* Sed mihi oppido facile videtur hanc virtualiũ Syllogiſmorũ conpagẽ luxare negando tantũ tertiã præmiſſam: *Quod in fieri eſt, nondũ eſt*, quæ falſæ Heerbordi perſuaſioni innititur imperitũ vulgus in philoſophando imitantis, ac quam in naturæ artiumque effectis, ubi operationi artificis materia ſubſternenda eſt, ſucceſſionem, antequam res ultimam, ad quam tendit perfectionem, acquirat, deprehendimus, eam ad eminentisſimum creationis actum, cujus terminus *à quo* ſimpliciter non-Ens eſt, transferentis. Quemadmodum enim ſemina agro concredita non ſtatim naturam v. g. hordei, tritici induunt, ſed certum aliquod temporis ab Auctore hujus univerſi præfinitum requirunt ſpatium, quo priori forma, quæ novam excludit, abolita atque expulſa poſtmodum per innumeras fere alterationes certisque gradibus in tritici vel hordei naturam immigrent, donec tandem ad maturitatem pervenerint; cum tamen interea recte

hordeum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

hordeum & triticum fieri dicantur, quoniam ſingulis momentis aliquam, etſi minorem, quam ut ſenſibus poſſit detegi, mutationem ſuſcipientes propius ad ingenium ſimilitudinemque frumenti accedunt (quanquam etiam incommuni vita ſæpius ad has ſubtilitates examinandas nos non demittentes partem temporis re vera latitudinem habentem inſtantis (ϛιγμῆς) nomine in ſignire conſuevimus,) ſic etiam Heerbord creationem modulo ſucceſſivarum actionum metiens in primo momento, quod rei creandæ exiſtentiam immediate antecedit, quandam ad exiſtendum præparationem fingit, è qua deinde creatura in ſecundo ad veri Entis rationem aſcendat. Sed quam abſurdam hic foveat de creatione Ideam, nemo non intelligit. Cum enim fieri nihil aliud deſignet quam actu exiſtentiæ affici & extra nihilum conſtitui, impoſſibile plane eſt, ut ab exiſtentia vel uno inſtanti disjungatur, cum hoc modo eadem res ſimul extitiſſet & non extitiſſet, extitiſſet, quoniam actu exiſtentiæ fuiſſet affecta, non extitiſſet ex falſa ipſius hypotheſi, *illud quod in fieri eſt, nondum eſſe.* Porro, ſi hæc actio non uno perficeretur momento, Sed Ens in alio fieret, in alio demum verè exiſteret, in priori aut aliter ſe haberet, ac tota æternitate habuisſet, atque adeo Ens reale & actu eſſet, (inter nihil enim & Ens actu exiſtens nullum datur medium) aut non. Si in priori puncto aliam indueret faciem, ac tota æternitate oſtendiſſet ac adeo Ens reale & actu eſſet, jam eſſet creatum, & in ſecundo momento non crearetur, ſed conſervaretur. Si autem Ens è nihilo producendum in momento (imaginario) iſtud momentum, quo primum exiſtit, immediate contingente, plane nihil eſſe poſſit, nemo dubitare debet, quin ſubſequenti momento & fiat, & exiſtat, ac fieri atque exiſtere tantum ratione diſtinguantur. Nec minus etiam (ut jam tacitus prætermitam, omnem mutationem ſucceſſivam ita eſſe comparatam, ut qui eam in ſuas, è quibus conflata eſt, partes dividere atque reſolvere aggreditur, illum tandem ad momentaneas ac diviſionem ultra non admittentes deducat mutationes, quibus non poſſit non conſtare) hoc ἀσύϛατον ſalva Heerbordi opinione locum eſſet

inventurum, omne, quod factum eſſet, nondum extitiſſe; in ſecundo enim puncto, quod momentum iſtud, quo Ens fit, ſubſequitur, re vera factum eſſet, nondum tamen extitiſſet, quoniam è bella hac hypotheſi in ſecundo momento demum exiſtit. q. e. abſurdum. Sed major Heerbordi abſurdarum concluſionum fœcunda aliud adhuc alit monſtrum: accedit enim præterea, *ſi quod in fieri eſt, nondum eſſet*, cauſam ſine effectu poſſe dari, quoniam Deum in priori momento revera egiſſe, niſi in aliud barathrum ſe præcipitare velit, ne ipſe quidem poterit negare, effectus tamen in inſtanti adfuiſſe, ac revera extitiſſe nequit, quoniam è falſa ipſius hypotheſi, (ad quam iterum lectorem remittendi mihi imponitur neceſſitas) ſecundo momento, poſtquam productum eſt, Ens demum exiſtit: quod tamen à ſana ratione quam maxime eſt alienum. Cum igitur certum exploratumque ſit, τὸ fieri & exiſtere in creatura è nihilo emergente non poſſe ullo momento disjungi, ſed duos hos actus non reapſe, ſed tantum in ſigno rationis differentes intra unius inſtantis ac puncti indiviſibilis anguſtiam eſſe redigendos, ſcire debet ſæpius memoratus Auctor, *fieri* interdum à Philoſophis ita accipi, ut rem, quæ facta, non tantum dependere à cauſa quadam, ſed ita dependere, ut exiſtentiam acceptam antea non poſſederit, innuat, interdum autem meram tantum rei factæ inferre dependentiam. Priorem ſi intendit ſenſum Suarezius & ipſius aſſeclæ creaturam æternam negabunt & fieri & factam eſſe repetentes ea, quæ ſuperiori §. fuſe expoſuimus; ſin poſteriorem, creaturam & fieri & factam eſſe utraque manu largientur; ſed Heerbordus hoc in caſu ſemet ipſum plane debellaret. Quod autem alio loco urget nullum effectum poſſe cauſæ eſſe coævum, ſed eſſe ea poſteriorem, ſi de cauſa relative ac formaliter ſpectata loquitur, iterum à veritatis tramite longiſſime aberrat, cum hoc ſit relatorum (etiam tranſcendentalium) παρακολούθημα ut ſimul ſint, ac inter hæc tantum prioritas naturæ non temporis intercedere poſſit. Si autem ſermo eſt de cauſa abſolute conſiderata ratione ſuæ exiſtentiæ, ego quidem nullam ipſi movebo controverſiam, ſed tantummodo requiram

pro-

probationem majoris: adverſarii autem eam tantummodo admittent de cauſis hujusmodi, quæ ad agendum prævia mutatione debent diſponi, & in quibus actus primus cum ſecundo non conjungitur, quam proinde rationem conditione intermedia ceſſante Deo male utpote actui puro applicari contendent. Etiam aliud nexuit ratiocinium Adrianus Heerbord exinde, *quod creatura non eſt neceſſaria* ducens concluſionem, *cum omne æternum ſit neceſſarium*: verum, quem aliquoties deſideravi, iterum hic nempe novum aliquem medium terminum, qui prædicatum cum ſubjecto majoris copulet, deeſſe dolendum eſt.

§. 13.

Sed nusquam pejus rem geſſit, nusquam minus votis eventus reſpondit, quam ubi ad libertatem creatoris per electionem ſemetipſum ad agendum determinantis delatus hoc velut ariete æternitatem creaturarum poſſibilem labefactare atque evertere conatur. Deſtinaverat ſibi adverſarium Pererium, quem dum in curriculo diſputationum ſuarum undique, iniquus interdum judex, exagitat, vehementisſimo contentionis æſtu eo provehitur, ut in ſcopulum Scylla & Charybdi pejus evitandum graviter tandem impingat. Verum ne quis me hic errore aliquo labi, aut mentem ipſius minus feliciter aſſecutum arbitretur, juvat ipſius verba ſubjicere: *Sive electionis actus ſit ſimplex ac momentaneus, ac totus ſimul, ſive ſit ſucceſſivus, nihilominus inter eum & effectum ad extra mora intercedit, nam omne agens per electionem & voluntatis libertatem, qualiscunque tandem ſit electio, effectu ſuo eſt prius: nam ſi Deus ex electione & libere mundum produxit, ergo mundus potuit non produci: Si potuit non produci vel in eo ipſo inſtanti, in quo productus eſt, vel ante vel poſt: non in eo ipſo inſtanti, quia omne, quod eſt, eo ipſo quo eſt, non poteſt non eſſe, non poſt, quia ſemel productum neceſſario eſt productum E. ante; ſi ante, ergo prius fuerit Deus, qui elegit iſto momento mundum producere, quo produxit & non ante: nam ſi ante voluiſſet, potuiſſet ante produxiſſe; at nec velle nec producere ante potuiſſet, niſi ante extitiſſet. Ergo inter Deum eligentem producere mundum iſtoc momento & ipſum mundum productum mora fuit & non fuit ſimultas exiſtentiæ, ſed ele-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

electio mundi producendi in Deo extitit ab æterno, productio ejusdem in tempore. Etiamſi in omnes partes cogitationes meas verſem, non tamen exquirere poſſum, quæ amentia virum hunc ſubegerit, ut hac non ſane honorifica perſona indutus in publicum literarii Orbis Theatrum prodire, ſeque omnium riſui exponere non dubitarit. Quid enim, ſi cœtera eſſent paria, nec aliunde oriretur impedimentum, electio obſtaret, quo minus ſupremum Numen ſuæ æternitati æternam creaturam jungere potuiſſet, niſi voluntatem divinam ad ſimulacrum voluntatis creatæ velit revocare, quæ etſi à facultate intelligendi reapſe non differt, per actum tamen ab intellectu & voluntate diſtinctum perficitur, poſtquam tanquam potentia cœca ab illa intelligendi facultate diverſo itidem, quem recipit, actu operante prius eſt illuſtrata atque ad finem ſuum directa; qui cum menti humanæ tantum per media confuſe cognita conſequendus proponatur, novam ſtatim ipſa intellectui imperat actionem, quam conſultationis vocabulo ſalutant Ethici, qua præcedente ad electionem certi medii, cujus beneficio votorum ſuorum apicem ſe attingere poſſe ſperat, tandem determinatur. Verum longe aliter res in Deo comparata eſt, cujus affectiones etſi imbecillitas humani intellectus niſi diſtinctis rationibus formalibus eſſentiam divinam inadæquate repræſentantibus concipere non poteſt, re ipſa tamen neque materialiter neque formaliter, ab ea differunt, ac cum omnia attributa divina in ſummo perfectionis faſtigio ſint collocanda, ipſaque eſſentia ſit actus purus ab omni potentialitate liber atque immunis, ſcientia etiam utpote eſſentia ipſa cum Objecto, quod cognoſcit, conſiderata, non in primo ſed ſecundo conſtituenda: Etiam voluntas, quæ nihil aliud eſt, quam perfecta ſcientia, non ab actibus efficacem finis intentionem conſequentibus expectat complementum, ſed eſt mera electio reliquis actibus æquivalens, qui proinde illam tantum in ſigno rationis, ut noſtro ſubveniatur imperfecto cognoſcendi modo, antevertunt. E quibus etiam illud conſtare arbitror, (cujus ignorantia Adrianus Heerbord lapſus eſt) non talem cadere in Deum in eligendo li-

B 3 ber-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

bertatem, qua voluntas divina aliquando v. g. circa productionem creaturæ & actus hujus omiſſionem in æquilibrio fuerit poſita, vel electionem, quæ inchoata ac facta ſit, ſed quæ ab æterno, abſoluta, conſummata ac facta fuerit, nec Deum ſub hac voce à nobis debere concipi, ut ſe in indiviſibili æternitatis momento ad producendam creaturam determinantem (niſi imperfectionem voci huic ob adjunctam temporis differentiam, quam ſimul præter id, quod primario ſignificat, involvit, adhæreſcentem mente proſcripſeris) ſed à ſe determinatum atque in placito ſuæ voluntatis cum ſumma ac ineffabili tranquillitate acquieſcentem, ita ut etiam ad omiſſionem hujus actus ab æterno à ſe ipſo determinatus eſſe & in hoc decreto acquieſcere potuiſſet. Nec enim aliter ratione durationis & perfectionis Ter Optimus Maximus in condendis ſuis decretis ſeſe habet, ac ſi actus fuiſſent naturales, atque è divina eſſentia nenеceſſario fluxiſſent. Quæ cum ita ſint, mirari ſane ſatis nequeo, ſic rectæ rationi repudium miſiſſe Adrianum Heerbord, ut Deum temporum imperio ſubjicere non dubitarit, ſiccine ſui eſſe oblitum, ut quid æternitatis lex jubeat, ſimplicitatis ratio exigat, eminentia divinæ ſcientiæ ac voluntatis poſtulet, omnipotentiæ majeſtas efflagitet, non ſit recordatus: Sic libidine contradicendi fuiſſe occœcatum, ut quam facile ſit, ſi in hac abſurda ipſius conceſſa tamen hypotheſi pedem figere liceat, (quod meminiſſe horreo) omnia attributa divinæ eſſentiæ labefactare ipſamque naturam plane evertere, non perſpexerit. Nec etiam vana Adriani Heerbordi ſubtilitate hoc modo exploſa, eſt, cur ipſius Trilemma, quo ſe mirifice effert, velut caput Gorgoneum adverſariis iſtud objiciens refugiam: quin potius nulla deliberationis interpoſita mora, quod primo loco poſuit membrum, potuiſſe nempe mundum, ſi ab æterno productus eſſet, eo inſtanti, quo productus non produci (ſed tamen in ſenſu diviſo) eligo omnem, quam vult obtrudere contradictionem, vulgatiſſima ac nemini, qui à primo limine Metaphyſicam ſalutavit, ignota diſtinctione neceſſitatis in abſolutam & ex ſuppoſitione vel, quæ eodem recidit, in antecedentem

&

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

& concomitãtem commode declinari poſſe exiſtimans. Atque hæc ſunt præcipua ac validiſſima argumenta, quibus illi, qui melioris ſententiæ patrocinium ſuſceperunt, contrariam opinionem profligari, ac defenſoribus ipſius confeſſionē erroris exprimi poſſe ſibi habuerunt perſuaſum: ſed quantum à conatibus abſit ſucceſſus, eosq; ſpes ſua fefellerit, ex ea, quam ſingulis ſubjunxi, reſponſione, abunde, ut arbitror conſtabit. Superſunt ipſis adhuc exiguæ quædam rationum reliquiæ, ſed non tanti momenti ac roboris, ut iis multum temporis ſit tribuendum, ac refutationem mereantur.

§. 14.

Quamobrem, cum viderem vulgarem ac uſitatam viam tot præclariſſimorum virorum impreſſam veſtigiis neminem tamen licet magna animi viriumque contentione eam ſecutum ad metam potuiſſe perducere: hac relicta aliam mihi indagandam, alia ratione latentem veritatem eruendam eſſe judicavi. Cui operi dum nunc accingor, quantum virium tenuitas permittit, repugnantiam prohibentem, quo minus creatura Deo exiſtere poſſit coæva, inveſtigaturus non Adrianum Heerbord, qui eam non modo à parte creaturæ, ſed etiam Creatoris, atque creationis quærit, imitabor, ſed tantum à parte creaturæ demonſtrare conabor. Cum enim territorium omnipotentiæ divinæ ſit imēnſum ac ſuo ambitu omnia complectatur, quæ in ſe ac ſua natura citra reſpectū ad potentiā tum creatā tum increatam non involvant contradictionis repugnantiam, quorum autem extrema ita ſe habeant, ut alterum alterum interimat atque evertat, eorum impoſſibilitas non à divina potentia oriatur, ſed ad Objecti naturam ſit transferenda (ſi tamen exceperis eos actus, qui ſummam imperfectionem & inferentes & arguentes in Deum non cadunt, ſed perfectionibus ipſius vel moralibus vel phyſicis adverſantur,) quilibet ſtatim intelliget, ſæpius memoratum Auctorem, quando in eo totus eſt, ut non tantum è Creaturæ, ſed & Creatoris ac Creationis conditione hanc impoſſibilitatem derivet, peſſime munere ſuo functum eſſe, propterea quod hoc actu nullam vim divinis perfectionibus inferente,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

ſi nihilominus à parte cauſæ aliquid objiceretur obſtaculi, neceſſe eſſet, ut vel Dei omnipotentia non fuiſſet æterna, vel ſimilis in Deo defectus æternæ creationi velut violentus tribunus interceſſiſſet, quorum utroque nihil abſurdius poteſt excogitari. Qua occaſione etiam non poſſum ſilentio præterire, hanc adverſariorum diviſionem, ſi ad rigorem Philoſophicum exigatur, non omni carere vitio, ſed rectius ſine dubio eos acturos fuisſe, ſi ternarium membrorum numerum ad binarium reduxiſſent membra priora ſub appellatione Dei vel cauſæ vel Creatoris complexi. Cum enim nulla detur actio inter Deum & creaturam intermedia, ſed creatio à parte cauſæ conſiderata ſit ipſa divina eſſentia, ut ab ea ſine ulla ſui mutatione effectus emanat, à parte effectus ſit ipſa creaturæ, quæ à cauſa ſua ſuperiori dependet, tertium membrum conſtituentis ratio, concedere utique debent adverſarii, intermedium membrum ipſam cauſam primam cum actu creationis ſive Deum, ut eſt Creator, nobis exhibere, prius autem alia attributa divinæ eſſentiæ reſpicere; quo pacto etiam non poterunt infitiari, hanc diviſionem non eſſe immediatam, atque adeo in leges bonæ diviſionis peccare. Sed & diverticulo redeundum eſt in viam, in qua, ut eo felicius progrediar, optatamque metam tandem aſſequar, fundamenti loco ſubſternendum erit, quod apud omnes eſt in confeſſo, ac nemo ſanæ mentis vocabit in dubium, creaturam quamlibet ſingulis, quibus extitit, momentis, ſive ſint realia, ſive præter primum reliqua imaginaria, qua de re ne longius extra limites diſſertationis meæ abripiar, hac vice cum nemine volo contendere) adeoque, ſi ab æterno exiſtere potuiſſet, etiam ab æterno non tantum potuiſſe esſe nihil (in ſenſu tamen diviſo,) ſed poſtquam creata eſt, ut à Deo in fieri, eſſe & operari dependet, quolibet momento cauſa nimirum ſuperiori influxum inhibente poſſe finiri atqud ad nihilum revocari. Qui autem in re licet explorata ac minimè dubia argumentorum tamen pondera expectat, poteſt conſulere. §. 33. in qua axioma hoc Philoſophorum ſole clarius videbit demonſtratum. Non temere autem, ſed conſulto ac data

opêra reſtrinxi aſſertionem meam ad illa puncta, quæ creatura poſtquam creata eſt, occupat. Excipiendum enim eſt è complexu iſtorum momentorum unicum inſtans, quod omnia reliqua anteceſſit, quo creatura quidem nihil eſſe, non autem è poſſeſſione exiſtentiæ dejici, atque in voraginem nullitatis potuit demergi: alioquin enim, ſi nullum dari poſſet indiviſibile durationis punctum, quo non potuiſſet in nihilum redigi, ſequeretur, eam ſi æterna eſſet, æternitate à parte ante ab æterno, ſi autem non eſſet æterna, quolibet ſuæ exiſtentiæ momento potuiſſe annihilari, quod utrumque abſurdum eſſe facili negotio oſtendam. Ut autem adverſariis omnem viam exceptionis præcludam, qui quam ingenioſi voces in alienam ſignificationem detorquendi ſint artifices, in hoc negotio ſatis ſuperque declararunt, vocabulum *creationis*, quod antiquitas uſu & conſvetudine confirmata huic muneri deſtinarat, ut annihilationi è diametro oppoſitum iſtum deſignaret actum, quo res, quæ ſecundum ordinem durationis nihil erat, exiſtentiam accipit, per quandam violentiam eo trahentes, ut in hac controverſia cum conſervatione pari paſſu ambulet: hic in anteceſſum moneo teſtatumque apud animum lectoris relinquo, nihil aliud hic menti offerre vocem *annihilari*, niſi Ens reale & actu exiſtens, quod exiſtentiam, quam re vera & actu habuit, perdit atque amittit, quà exiſtentiam ſuam perdit ac amittit. Ac primo jam per ſe clarum eſt, Ens non poſſe uno eodemque momento & incipere & deſinere & exiſtentiam accipere & amittere, & creari & annihilari, quia hoc modo eodem momento indiviſibili & exiſteret & non exiſteret q. e. abſurdum. Unde etiam cuilibet ad oculum patebit, nullam rem à cauſa ſuperiori dependentem poſſe vel potuiſſe ab æterno annihilari, quia ſi ab æterno annihilari potuiſſet (vel annihilata fuiſſet;) illa ante quam annihilaretur, & extitiſſet, & antequam annihilaretur, non extitiſſet; quia omne quod annihilatur, exiſtentiam habuit, & terminus annihilationis eſt Ens reale & actu exiſtens: non priusquam annihilaretur, exſtitiſſet, quia quod ab æterno annihilatur, non extitit ante annihilationem; quo-

niam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

niam ſi annihilationem momentum præceſſiſſet, quo res non annihilata fuiſſet, vel annihilari potuiſſet, (quod momentum annihilationem non præcedere, ut jam demonſtravi, impoſſibile eſt) non ab æterno annihilata fuiſſet, vel annihilari potuiſſet, quoniam annihilatione aliquid fuiſſet prius, atque ſic creatura cum prius extitisſet, non tamen prius extitisſet, cum ante annihilationem fuisſet, non ante annihilationem fuisſet, & annihilatio hoc modo esſet æterna & non æterna, esſet æterna ex hypotheſi, non esſet æterna, quoniam præceſſisſet creatio. 2. ſi creatura ab æterno vel annihilata esſet vel annihilari potuisſet, totum æquaretur ſuæ parti: cum enim nihil poſſit annihilari, niſi quod ſaltem unico momento annihilationem poſſibilem ſecundum durationis ordinem antecedente exiſtentiam posſedit, iſtud durationis ſpatium ex unico momento, quo creatura non potuit annihilari & reliquis, quibus potuit annihilari, conflatum non excederet iſta durationis inſtantia, quibus annihilari potuit. Cum igitur annihilatio, quam neceſſario unicum exiſtentiæ momentum præcedit, non posſit eſſe æterna, vel ab æterno, prono hinc fluit alveo, etiam creationem & durationem creaturæ non poſſe eſſe æternam, (æternitate nempe à parte ante) neque creaturam Deo exiſtere poſſe coævam, quoniam unico tantummodo inſtanti primum deſcendenti, ultimum aſcendenti annihilationis poſſibilis inſtans antecedit. Si autem in hoc unico momento non potuit annihilari, ante hoc unicum momentum non fuit. Si non fuit ante hoc momentum, fuit ante hoc momentum nihil. Si nihil aliquando fuit, non eſt æterna. Omnis creatura, quanta quanta ſit ejus duratio, in aliquo momento vero ac reali non potuit vel poteſt annihilari; E. ante iſtud momentum non fuit, ſed nihil fuit. E. omnis creatura non eſt æterna, ſive nulla creatura eſt æterna, & nulla creatura æterna eſſe poteſt vel potuit q. e. d. Eadem etiam concluſio alio modo è ſuis præmisſis poteſt deduci. Æternitas enim à parte ante, cujus adverſarii creaturam fingunt capacem, eſt duratio à parte ante infinita, vel quæ infinita complectitur momenta, ſive realia ſint, ſive

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

imaginaria, ita ut res exiſtens hac duratione nunquam non fuerit, ipſius exiſtere non-eſſe non anteceſſerit. Quæcunque enim duratio à parte ante eſt finita, vel termino aliquo clauditur, vel in qua momentum aliquod concipi aut deſignari aut cogitari poteſt, quod non iufinita imaginaria antecedant momenta, illa agnoſcit aliquod principium ac initium, plura potuiſſet continere momenta ſive imaginaria ſive realia, illâ dantur infinita momenta priora, & quod hujusmodi duratione exiſtit, aliquando fuit nihil, adeoque non eſt æternum. Durationem autem creaturæ non poſſe eſſe à parte ante infinitam inde manifeſtum eſt, quod fieri non poſſit, quin ipſius duratio abſolvatur duabus partibus finitis, nempe omnibus illis momentis, quibus potuit annihilari, & unico, quod momenta annihilationis poſſibilis præcedit, quo non potuit annihilari; quarum partium utraque eſt finita: pars enim iſta, quæ momenta quibus creatura potuit annihilari, continet, a parte ante finita eſt, quod ultimum in ea annihilationis poſſibilis datur inſtans, (dari enim punctum, in quo creatura non poteſt annihilari omnia reliqua antevertens demonſtratum eſt) & quod eam durationem aliquod momentum præcedit, & hac duratione duratio major à parte ante datur; iſta autem pars, quam unicum punctum, quo creatura non poteſt ad nihilum revocari, conſtituit, eſt finita, quod unicum tantum eſt momentum & quidem labens ac fugiens, ejusdem ordinis ac conditionis, cujus reliqua ſunt momenta ſubſequentia, quod reale eſſe & non eſſe potuit, quoniam creatura etſi in eo non potuit annihilari, nihil tamen in eo eſſe potuit; unde etiam præ reliquis momentis nullo gaudere privilegio certum eſt. Non enim puto, quenquam eo veſaniæ atque audaciæ proceſſurum, ut quo vim argumenti mei eludat, audeat contendere, hoc ultimum momentum (aut ullius creaturæ durationem) poſſe, imitari æternitatem ſummi Numinis ac quemadmodum Ter Optimus Maximus unico ac indiviſibili momento infinitis à parte ante & poſt momentis coexiſtit, ſic etiam creaturam hoc primo momento infinitam momentorum imaginariorum ante-

tecedentium æquare multitudinem, iiſque omnibus coexiſtere: quod ſi tamen quis bona mente plane ejurata præter omnem opinionem tam abſurdæ ſententiæ ſuſciperet patrocinium, is ſane ſentiret ſe adverſus ſtimulum calcitrare, & quo majori vi plagas, in quas incidit, perrumpere niteretur, eo firmius ſe undique conſtrictum teneri. Alias enim ut omittam rationes, quibus obruere ipſum poſſem in præſenti duæ ſufficient. I. enim non tantummodo ex evidenti terminorum connexione patet, creaturam ab æterno in æternum vel quolibet momento potuiſſe & poſſe non eſſe, ſed etiam certo certius eſt, (quod tamen in ſuperfluum demonſtrabitur § 33. Sect. 2.) eam ſimul ac extiterit, poſſe annihilari. Si autem creatura quolibet momento poteſt aut potuit eſſe nihil, reliquis vero unico tantummodo & quidem primo momento excepto poteſt annihilari, impoſſibile eſt, ut durationem vel duorum momentorum nedum infinitorum unico indiviſibili momento poſſit complecti, quoniam hoc modo ſimul & in eodem momento & exiſtentiam habere & non habere ſed ſimul annihilari, imo ſi infinitam durationem à parte ante hoc æquaſſet momento infinities mutari & ab æterno annihilari potuiſſet. q. e. abſurdum. 2. ſi creatura unico ac indiviſibili momento plura momenta eminenter poſſet continere, omnia momenta, quæ eminenter contineret, cum illo, quo continerentur, tantæ neceſſitatis vinculo deberent connecti, ut ſimul ac unicum ſuum momentum occuparet, ſtatim reliquis omnibus coexiſteret, alioquin enim ſi nullus inter iſta momenta nexus intercederet, nec unum reliqua omnia complecteretur, manifeſtum eſt, illam non poſſe unico iſto momento pluribus coexiſtere: quoniam autem momentum & exiſtentiæ & durationis non realiter ab exiſtentia & duratione, nec duratio ab exiſtentia niſi tantum ratione differt, evidens eſt, ſi creatura plura momenta in unum poſſet contrahere, illi talem in exiſtendo eminentiam conferendam eſſe, ut in momentis iſtis reliquis, quæ unico complecteretur momento, non mera non-repugnantia ſed reali ac poſitiva gauderet potentia exiſtendi, ac vi ſuæ naturæ intrinſeca

 exi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

exiſteret, quod non tantum exinde abſurdum eſt, quod quamlibet creaturam eodem modo, quo in primo & in reliquis momentis à Deo dependere §. 33. demonſtratum eſt, ſed etiam præterea contradictionis involvit repugnantiam; quoniam creatura hoc modo eadem neceſſitate naturæ & neceſſario & non exiſteret neceſſario, & contingenter & non contingenter eadem contingentia exiſteret, & ſua potentia exiſteret, & ſua potentia non exiſteret. Porro, ſi jam creatura hoc modo pluribus momentis unico inſtanti coexiſteret, aut coexiſteret infinitis, aut finitis. Si infinitis, præter iſtud abſurdum, quo laborare hanc ſententiam modo oſtendi, etiam hoc ſequeretur, eam plane eſſe independentem, cum in omnibus momentis infinitis exiſtat neceſſario, exiſtat ſua ipſius potentia; atque adeo nunquam potuiſſe eſſe nihil, nec unquam poſſe annihilari. Si autem finitis coexiſteret momentis, quemadmodum abſurdiſſima hac hypotheſi locum habente finitis tantum coexiſtere poſſet etiam propterea, quod ſi infinitis coexiſteret, hæc infinita momenta deberent cum aliquo connecti momento, quod ipſa complecteretur, infinito autem nihil detur majus) in eodem ſane luto adverſarius hæret, iisdemq; premitur difficultatibus, quibus ſe fruſtra expedire conatus eſt. Cum ergo ex his ſole clarius ſit, creaturas non poſſe eminenti hoc modo exiſtere, quo Ter Optimus Maximus gaudet, ſed ſingula ipſarum momenta eſſe labentia, fugientia ac finita, atque in ſuperioribus jam demonſtratum ſit, durationem creaturæ conſtare è finito numero momentorum, quibus ſingulis potuit annihilari, & unico reliqua omnia antecedente momento, quo non potuit annihilari, non jam opus eſſet ad probandam finitatem hujus durationis è duabus iſtis partibus compoſitæ adferre rationes, quoniam termino à parte ante cuilibet jam in oculos incurrente neminem fore arbitror, qui durationem creaturæ non finitam agnoſcat. Si enim duratio creaturæ conſtet ex iſtis, quibus annihilari potuit momentis, (quorum numerum finitum eſſe evidens eſt, quod iſta duratione datur duratio major, & quod habet annihilationis terminum) & unico

præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

præterea accedente momento finito, ultra quod creatura nihil fuit, duratio ipſius utique eſt finita. Interim etiam finitatem totius è partibus finitis compoſiti (omiſſis jam quæ à natura proportionis medietatis &c. deſumuntur , aliisque præterea rationibus) hoc modo demonſtrare ac lectoris oculis ſubjicere non inconveniens viſum. Fingantur enim dari duæ partes finitæ, quarum quælibet iterum tot contineat partes , quot quælibet alia poſſit continere, atque harum altera alteri adjiciatur, ita ut alteruter terminus alterius partis alterutrum contingat terminum alterius partis, ſic ſane uterque terminus tam hujus quam illius partis jam rationem termini amittens, ſi iſtam partem reſpicis cujus reſpectu erat terminus, habebit terminum ſibi oppoſitum eundem, quem ante compoſitionem habebat, eademque & finita, qua ante diſtabat, diſtantia ab iſto adhuc diſtat termino : iſte autem terminus oppoſitus uterque, qui antea terminabat partem, jam terminat totum, atque ſic ab utraque parte totum terminatur. Eodem modo res ſeſe haberet, ſi in infinitum adjicerentur partes finitæ, quoniam , quicunque terminus ultimam terminaret partem, terminaret totum : infinitum enim non poteſt è partibus finitis componi ſed infinities eſt infinitum : quemadmodum etiam infinitum ex infinitis conſtans actu partibus dari impoſſibile eſt. Hic autem oritur diſcrimen aliquod inter quantitatem continuam & ſucceſſivam ſive momentorum imaginariorum ſive realium, quod cum illa utrinque ſemper poſſit augeri, hujus vero è contrario terminum anteriorem ullis novis partibus accedentibus claudi , quemadmodum poſterior claudi poteſt, cujus ratione proinde infinita poteſtate cenſenda eſt, ſimpliciter repugnet, idque propterea, quod hæc duratio partes ſuas non ſimul habere poteſt, ſed ſingula momenta fugiunt, aliique ſuccedenti relinquunt locum. Si ergo creaturæ duratio à parte ante infinita eſſe non potuit, ſed neceſſario ultimum agnoſcit exiſtentiæ ſuæ momentum, ultra quod nihil fuit, nemo niſi inſanus ac mente captus eam non poſſe eſſe æternam negabit. Atque ſic poſſibilis creaturarum æternitas, niſi me omnia fallant,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

lant, mole ſua corruit, ſic duratio creaturarum intra fines à parte ante redacta, limitibus ſuis incluſa, ultimumque aſcendenti momentum è ſuis orbibus, quibus implicabatur, tandem evolutum eſt.

§. 15.

Poſſem adhuc duo alia argumenta in aciem producere, eorumque ope ac miniſterio collapſæ æternitatis ruinas accumulare & adverſarios novis involvere contradictionum laqueis, quibus pariter nulla ratione ſe expedirent: ni me ab hoc conatu excluderet & magnitudo diſſertationis modum exceſſuræ, & juſtus prope metus, ne lectoris patientia abuti, aut anxietate defenſionis cauſam dubiam facere viderer. Quapropter ea alii occaſioni reſervans in præſenti gradum promoveo ad ſolvendas quaſdam Objectiones, quibus diſſidentes ſuam ſententiam commendare & ad minimum imperitioribus fucum facere conantur. Cum autem & experientia magiſtra & ſuæ ipſius naturæ accurata contemplatione didicerunt, mentes hominum præſertim eorum, qui Chriſtianis ſacris addicti non tantum hanc univerſitatem à certo temporis puncto exordium duxiſſe fide falli neſcia credunt, ſed & ætatem ipſius ſexies mille annos non excedere probabili conjectura colligunt, naturali quodam horrore refugere ac averſari poſſibilem æternitatem cujuscunque creaturæ, atque hinc ſtatim ipſa litis conteſtatione audita à cauſa ſua abalienari, primus labor, qui ipſos diſtrictos occupatosque tenet, in eo verſatur, ut nativam opinionis ſuæ faciem pigmentis adjuvent, quo, quam in ſe non invenit gratiam, eam à ſpecioſiſſimorum exemplorum coloribus mutuetur, atque ubi his illecebris aditum ſibi inveſtigarit, animis hominum externa ſpecie delinitis eo facilius illabatur. Ne autem omen rebus gerendis deſit, à Sole, quem Perſæ quondam pro numine coluerunt, meditationes ſuas ordiuntur; cujus fulgorem cum caligantes oculi ſuſtinere nequeunt, in terram dejecti ſub planta pedis inveniunt, quod obſervaſſe non pœnitet. Ille enim, ſi ab æterno fuiſſet, ab æterno etiam ex ipſorum opinione luxiſſet: hic, ſi ab æterno in pulvere ſtetiſſet,

æter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

æternum fuiſſet veſtigiũ in pulvere productũ. Quæ cum in mente ipſorum triumphet perſuaſio, ut lucem eſſe effectum Solis, Soli, ſi æternus fuiſſet, coævum & veſtigium arenæ impreſſum non tantum æquali cum pede gaudere duratione, ſed etiam pedis planta productum eſſe arbitrentur, ne ſibi ipſis defuiſſe, ac ſuæ ſpei imparem animi magnitudinem ad pugnam attuliſſe arguantur, piaculum committi, atque injuriam ſupremo rerum Domino Creatori hujus univerſi fieri clamitant, ſi quæ creaturis, ſi æternæ fuiſſent, competere potuiſſet, ut loquuntur perfectio, negata creaturarum poſſibili æternitate ipſi denegetur. Quamvis autem tantum abſit, ut hæc agendi potentia, qua effectus cauſæ ſuæ coævus conſtitui poſſet, perfectionis puræ & quæ nihil ex imperfecto trahat, nomen mereatur, ut potius ſummæ imperfectionis notam repellere non valeat, ac evidentiſſimo ſit argumento, rem, quæ ratione exiſtentiæ effectu ſuo non eſt prior, aliquod durationis agnoſcere initium, (licet interim ſi daretur aut in virtute cauſæ primæ contineretur creatura, quam in eo ipſo inſtanti, quo è nihilo eſſet producta vires ſuas in creatione collatas producto effectu exerere non implicaret, huic rationē perfectionis, ſed ex earũ perfectionum cenſu, quæ cum imperfectione conjunctæ ad ſolamen ſuæ imbecillitatis creaturis conceduntur, non detraherem) hoc inſigni tamen titulo illam & infra aliquoties in hac ſalutare controverſia non dubitavi, nihil juris inde optimæ cauſæ ratus deceſſurum, quod verba mea ad illorum, cum quibus mihi negotium intercedit, mentem tantiſper accommodarem, donec omnibus, quæ ſuperandæ reſtant, difficultatibus ſublatis, ac meliori ſententia in poſſeſſione victoriæ confirmata, fucatæ perfectionis imago ſimul evaneſceret. Sed ut ad propoſitum revertar, in primo ſtatim limine adverſarii offendunt, dum quædam pro veris atque conceſſis nobis volunt obtrudere, quæ tamen non ſunt conceſſa, multo minus vera. Nam, ut ordinem, quo ipſi in proponendo ſunt uſi, in examinando ego ſequar, ſub luce Solis vel intelligenda eſt qualitas Phyſica, (non Logica) qua ad re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

bus tenebricoſis lumen affundendum eſt aptus, vel ipſe lucendi actus, per quem cum qualitate iſta perpetuo conjunctum in medio perſpicuo lumen producit; vel denique lumen in medio perſpicuo productum, cujus beneficio colores oculis junguntur. Si in priori ſignificatione vocabulum hoc velint intellectum, lux ipſam Solis naturam conſtituit, qui quantus quantus ſit, nihil niſi ignis, imo vaſtisſimum quoddam mare igneum cenſeri debet, ut proinde non aliter de Sole ac de igni ſit judicandum hoc tantummodo intercedente diſcrimine, quod cum ignis noſter è particulis æthereis atque terreis valde conſtipatis & rapidiſſime agitatis conſtet; ſidereum hoc corpus vero è particulis quidem igneis, ſed indisſipabilibus ac purioribus compactum eſſe videatur. Sed hanc Solis qualitatem nemo ſanæ mentis pro effectu ſolis venditabit. Reſtat ergo, ut vox illis vel lucendi actum, vel lumen in medio perſpicuo productum deſignet. Si priorem arripiunt ſignificationem, iſte lucendi actus in particularum ignearum valde conſtipatarum rapidiſſima agitatione & motu conſiſtens non tam eſt effectus Solis, quam artificis, qui Solem architectatus eſt, eique motum impreſſit, unde Sol in genere cauſæ materialis Subjecti rationem habet, quod motum hunc recepit: & ſic docere debent Patroni hujus ſententiæ particulas igneas, quarum conſtipationem ſtatim motus iſte ſubſequitur, nullo momento potuiſſe actum lucendi antecedere. In quo valde timeo, ne ſi non omnes certe quam plurimi ſecum ipſis committantur, qui licet creaturam æternam eſſe potuiſſe aſſerant, motum tamen non poſſe eſſe æternum contendunt. Eadem opera ſibi ſatisfactum putent, ſi mentem ſuam ita interpretentur, ut lumen in medio productum perſpicuo dicant denotari, ac ſenſus ſit, Solem, ſi ab æterno extitiſſet, æternum quoque produxiſſe lumen. Cum enim illuminatio à lucendi dependeat actu, manifeſtum eſt, ſi Sol ab æterno non luxiſſet, nullum etiam corpus ſolari face potuiſſe ab æterno illuſtrari. Nec plus etiam nobis faceſſunt negotii,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

qui faciem hujus ratiocinii paululum immutantes non ab æterna Solis exiſtentia ad actum vel lucendi vel illuminandi æternum, ſed ab actu Lucendi æterno ad æternum illuminationis actum colligunt: etſi enim omni caret controverſia, ſi ſol ab æterno luxiſset, aerem, ſi ſoli coextitiſſet in ipſius activitatis ſphæra conſtitutus, fuiſſe ab æterno illuminatum, non tamen minorem ſuam ita veritati propitiant quin ſtatim major ingenti difficultate urgeatur. Cum enim ipſorū eſſet officium demonſtrare, conceſſa æterna exiſtentia creaturæ non repugnare æternum effectum producendi potentiam, quamvis ſi res vel maxime ex voto ſucceſſiſſet, non tamen, ut infra oſtendetur legitima procederet conſequentia) & ejusmodi conditionem, (ſi nova opus eſſet, adjicere, quæ non à veritate concluſionis dependeat & in generali ſua ratione Deo recte poſſit applicari: utramq; cautionē plane invertunt. Primo enim certisſimum eſt, actum illuminationis paſſivæ æternum ab actu lucendi æterno procedere: uterque autem eſt effectus ſolis, hic quidem, dum in ignearum particularum valde conſtipatarum motu ac rapidisſima agitatione conſiſtit, ille vero, quando beneficio hujus motus particulis ſolis corpus conſtituentibus à Deo primo Motore impreſſi ætheræ particulæ aeri permixtæ ſimul rapidisſime circumtorquentur, & ita in medio hoc perſpicuo lumen producitur: quorum alter ad claſſem cauſarum materialium, alter ad efficientium eſt referendus. Jam vero lucendi actus ſolis effectus hic vicē intermediæ conditionis ſuſtinet, ut antecedentis prædicatum de Subjecto deinde ſalva veritate posſit prædicari, atq; ſic tandem operam jungente minori propoſitione eliciatur concluſio *nihil obſtare quo minus exemplo ſolis æternum ſi abæterno luxiſſet producentis lumen, effectus cauſæ coævus eſſe ab æterno potuerit* & ſic manifeſtum eſt conditionem dependere à veritate concluſionis: qui argumentandi modus abſurdiſſimus in ſequentibus clarius oculis exponetur. Poſſe autem hanc conditionem in generali ſua ratione Deo qui in ſumma actualitate ac perpetuo exiſtentiæ exercitio conſtitutus per ſuam eſſentiam non vero per actum à potentia emanantem ac ab ea realiter diſtinctum operatur, quare etiam nullam in agendo ſubit mu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

mutationem non (vid th. 17.) applicari nec ullam huic reſpondere ſimilem, nulla probatione eget, quamvis interim non eam infitias, hanc ſumūNuminis in cauſando eminentiam(iſta tantummodo, ſoli cum omnibus creaturis in agendo communi imperfectione quæ in eo ſita eſt ut potentia, ipſarum per actum accidentalem perficiatur,mente ſeparata,) non invenuſte poſſe adumbrari. Sed hæc quæ de falſiſſima nonnullorum adverſæ partis majori expoſuimus, lucem è ſequentibus expectant. Quod alterum attinet exemplum itidem non putem, veſtigium arenæ vel pulveri æterno impreſſum pedis poſſe conſeri effectum, quoniam, ſi planta pedis hoc veſtigium arenæ impresſiſſet, neceſſario veſtigium iſtud unicum momentum non extare debuiſſet, alioquin planta pedis hoc ſaltem prohibuiſſet, ne pulviſculi reliquum arenæ corpus excedentes ſpatiolum, quod planta occupat, potuiſſent implere. Sed cum fortaſſis quædam accommodatiora dari poſſint exempla (u. g. in creatura intelligente, quam in primo ortus ſui momento actum voluntatis elicere non repugnare videtur, quamvis etiam hoc modo non omni exceptioni clauderetur aditus cum hic tantummodo actus immanens, in hac materia vero de actu tranſeunte ſermo ſit,) nec res noſtræ ineo loco ſint ſitæ,ut ad hoc Aſylum debeamus confugere,fingam interim,dum hæc luditur fabula, lucem eſſe effectum ipſi ſoli, ſi æternus fuiſſet coævum, itidem veſtigium plantâ pedis ab æterno in pulvere ſtantis impreſſum eſſe æternum, nihil tamen inde theſi noſtræ imminet periculi, nec quicquam roboris decedit. Quod ſi quis hic quorundam Logicorum exiſtimantium omnem propoſitionem conditionalem conſtantem conditione impoſſibili æquipollere ſimplici neganti vellet inſiſtere placitis, ille tantummodo ad ſuperiorem theſin, qua impoſſibilitas conditionis oſtenditur, provocaret, atque hac reſponſione adverſarios dimitteret. Quæ, quamvis in hoc caſu etiam ſufficere poſſet, fundamentum tamen, cui rationem ſuam ſuperſtrueret, minus ſe mihi approbat, cum regula hæc tunc temporis tan-

tummodo locum habeat, quando alter, ut aliquid nunquam eventurum declaret, conſequens antecedenti impoſſibili annectit, quod vel nullum cum eo nexum habet, vel ſi habet, mera tamen impoſſibilitas ab eo, qui hanc propoſitionem profert, reſpicitur, ſecus ac in hac materia eſt comparatum, ubi ſepoſita tantisper quæ litem facit, quæſtione hic tantummodo neceſſitas conſequentiæ deſignatur ac contra nos urgetur: unde etiam paulo aliter erit reſpondendum. Nec tamen multum difficultatis res habet, etſi Adrianum Heerbord mire exercuit: Si enim propius hanc argumentationem excuſſerimus, majorem, in quam tandem reſolvenda eſt propoſitio hæc, cuique tota conſequentia innititur; *Quod creaturæ in certo caſu concedendum, ſub iſta conditione Deo non eſt denegandum*, in culpa inveniemus, quippe quæ tum demum vera eſt, quando conditio requiſita, quæ Prædicatum cum Subjecto connectit, licet impoſſibilis ſit (impoſſibilitatem conditionis enim reſpectu creaturæ ſolam non reprehendo) non tamen (ut jam præmonui) à concluſione probanda dependet, quemadmodum in allato exemplo ſol utpote creatura non poteſt conſtitui extra metam durationis à parte ante, niſi creatura à Deo ex æternitate poſſit creari, nec adeo prædicatum, quod hic vinculo conditionis impoſſibilis jungitur ſubjecto, utrumque terminum contradictionis reſpicit, & ex prædicatorum duorum mutuo ſe evertentium conjunctione, quæ in cerebello eorum, qui ita argumentantur, in unam rem coaluerunt, pronaſcitur, quo facto conditio iſta reſpectu Dei ac creaturæ ſe non æqualiter habet; in Deo enim nihil ponit niſi æternam potentiam, quæ ad productionem æterni effectus eſt neceſſaria, creaturæ vero præter hanc æternam cauſandi potentiam ingens adjicit pondus ex parte effectus, quem monſtroſa Metamorphoſi ex impoſſibili in poſſibilem transformat. Cum enim ideo creaturam non potuiſſe provehi ad faſtigium æternitatis ſit demonſtratum, quod repugnat, ut duratio rei dependentis infinitam durationem poſſit emetiri, ſimul ac hanc repugnantiam ſuſtuleris Deo æter-

num effectum adjungendo, ſtatim inde per bonam conſequentiam fluit, cum nihil obſtet quo minus quælibet creatura alteri poſſit eſſe duratione æqualis, à Deo de facili innumeras myriades creaturarum ab æterno ſic potuiſſe copulari, ut quædam rationem cauſarum, quædam effectuum obtinuiſſent. Ut autem, qui adverſam contra nos inſtruunt aciem, velut in ſpeculo poſſint contemplari, Syllogiſmi ſui quem in proſcenium adduxerunt, portentum, neve ſibi velut ingenioſo commento placeant, ejusdem farinæ affero Syllogiſmum priori tam ſimilem, quam ovum ovo ſimile eſt.

Quæcunque in creaturam, ſi infinitas obtineret perfectiones, caderet prærogativa, illa ſane Deo Enti infinito ſive qui infinitas habet perfectiones, non eſt deneganda.

Atqui in creaturam, ſi haberet infinitas perfectiones, hæc caderet prærogativa, ut poſſet producere rem habentem perfectiones infinitas.

E. Deo, qui eſt infinitus, hæc prærogativa, ut Ens infinitum poſſit producere, non eſt deneganda.

Concluſio eſt à ratione aliena, atque ſic vitium vel formæ vel materiæ inhæret, ſed formam accuſare nemo poteſt, niſi Logices plane rudis, & ſi formæ vitium ineſſet, etiam prior Syllogiſmus, cum hic perfecte eum exprimat, eodem laborare deberet vitio, E. iſtud in materia eſt quærendum, non autem penes minorem culpa eſt: cum enim Entis infinitas habentis perfectiones potentiæ nihil ſubducendum ſit, quod non involvit repugnantiam, effectus autem infinitæ virtutis etſi revera impoſſibilis eo tamen in caſu, dum nempe creatura eſſet producta pollens infinitis perfectionibus, naturam ſuam exueret, ac poſſibilis fieret, etiam minor hac intermedia conditione Prædicatum cum Subjecto connectens veriſſima eſt: reſtat ergo ut in Majori reſideat culpa, eaque à veritatis orbita quam longiſſime recedat. Cui hæc reſponſio licet ſolidiſſima non ſatisfacit, ab illo qua par eſt humanitate contendo, ut ingenii ac ſolertiæ nervos ad indagandam aliam velit intendere, ac ubi fortu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

tunam votis ſuis faventem fuerit expertus, qua reſponſione incommodum poſterioris Syllogiſmi poſſe declinari putet, eam etiam ad priorem velit applicare, quoniam quæ ipſi monſtrat exitum, eam & mihi monſtrare ne ipſe quidem poterit infitiari. Ut autem quæ fuſius propoſui, paucis complectar, ac velut in compendium cogam, omnis res eo recidit, ut quamdiu adverſarii poſſibilitatem conditionis non demonſtraverint, operam ac oleum perdant.

§. 16.

Sed hic error, quem modo perſtrinxi, etſi velo ſilentii non poterat involvi, ejusmodi tamen eſt, ut veniam mereatur. Quod autem Scholaſticorum quidam maleferiati, quo fidelius ſuæ, quam adornarunt ſcenæ, inſerviant, in ipſa religonis Chriſtianæ penetralia & adyta, ad quorum limen in Eccleſia primitiva nemini paganorum accedere fas erat, profano pede irruere, ipſumque cœlum ſua petentes ſtultitia ad abſtruſiſſimum myſterium Verbi ſubſtantialis per æternam generationem à Patre emanantis, quod religioſo potius ſilentio adorare, quam conceptibus Dei eminentiæ non convenientibus temerare debuiſſent, provocare non dubitent, profeſſione Chriſtianiſmi plane indignum, nec ullo pacto ferendum eſſe videtur. Ipſi enim quæſo dicant, quæ hic ſimilitudo, quodnam tertium comparationis intercedat? Creaturam enim eam ob cauſam æternam eſſe repugnat, quod connexio cum exiſtentia ipſi non eſt eſſentialis, nec de intrinſeca ſui ratione ſed extraeſſentialis atque extrinſeca, eaque à cauſa aliqua ſuperiori dependet atque adeo 2 contingenter tantum exiſtit, & (in ſenſu tamen diviſo) eſſe & non eſſe poteſt 3 quod eſſentiam habet à Deo diverſam. 4. quod durationis ſuæ ſpatium non ſimul complectitur, ſed ſucceſſive debet implere. Cum hac itaque creaturæ tenuitate conferat quispiam ſecundã perſonam in divinis magni Patris magnam ſobolem, quæ etſi ab æterno per actum generandi æternum ſuam hypoſtaſin à Patre communicatam poſſidet, nullo tamen modo à Patre dependet, quod in eadem

nu-

numero cum Patre ſubſiſtit divina eſſentia per veram ac perfectiſſimam cum illa identitatem, ut nihil aliud ſit, quam ipſa unica eſſentia Charactere Hypoſtatico Filii Dei inſignita, & cum eſſentiæ divinæ non exiſtere atque ab alio ortum ſuum traxiſſe ſimpliciter repugnet, ipſi etiam Filio æque ac Patri etſi modo ſubſiſtendi realiter diſtinctis repugnet ab alio tanquam à cauſa ut effectum dependere, repugnet per dictam non exiſtendi impoſſibilitatem non eſſevi intrinſeca neceſſarium, & quamvis perſonlitatem ſuam non potuerit niſi à Patre ab æterno accipere, nihil tamen majeſtati ipſius inde derogatur, cum ut ex antecedentibus clarum eſt, Pater & Filius neutiquam cauſæ & effectus rationem habeant, & quamvis Filius ſine Patre non potuerit exiſtere, Pater etiam ſine Filio non poſſit exiſtere (idem etiam judicium de Spiritu S. reſpectu Patris & Filii eſto) atque Eſſentiam divinam tribus ſubſiſtendi modis non ſubſiſtere implicet contradictionem. Accedit, quod non eo modo Filius æternus cenſendus eſt, quo creatura ſi poſſet, Deo coæva exiſtere deberet, ſuum ſpatium non ſimul ſed per partes occupans, ſed æque ac Deus Pater per unitatem divinæ naturæ omnem ſucceſſionem ſive privativam ſive poſitivam in exiſtendo reſpuit ac averſatur. Quæ uberiori explicatione illuſtrari potuiſſent, ni meminiſſem, me hac vice limitibus ac cancellis Philoſophicis circumſeptum eſſe, quos tranſilire à propoſito meo videtur eſſe alienum. Interim tamen nemo erit, cui non ex iis, quæ ex uberrimis atque ampliſſimis Theologiæ revelatæ campis transtuli, appareat, quam peſſime ſuas partes egerint Suarezius, Conimbricenſes, aliique ad æternam Verbi Deo Patri conſubſtantialis confugientes generationem, dum non tantum Theſin noſtram ne leviter quidem feriunt, & à ſcopo, quem ſibi præfixerunt, longisſime aberrant, ſed etiam vel ſupinam ignorantiam vel in arte diſputandi ἀπαιδευσίαν ſignis haud dubiis oſtendunt. Quibus ſuo errori relictis ad reliqua exequenda pergo.

§. 17.

§. 17.

Nondum enim omnis ſopita lis eſt: nondum omnis objectionum ſtrepitus ſileſcit. Alium adhuc adverſarii habent Achillem, quem terrendi cauſa oſtentant, alium clypeum, quem nobis ad ſingulos impetus obvertunt. Voluntas enim Dei æterna ab æterno ad hanc vel illam creaturam producendam à ſe ipſo determinati cauſæ ſuæ militare ſuisque partibus ipſis favere videtur. *Cum enim Deus ab æterno potuerit velle creare*, inquiunt, *quidni etiam ab æterno actu creare potuiſſet, cum voluntas atque omnipotentia in ſigno rationis* (ſed ratiocinatæ) *tantum differant.* Cui ratiocinio etſi plurimum roboris ineſſe cenſent, tamen ſi ipſis non omnia credimus, ſed nobis judicandi arbitrium ſervamus, facile deprehendemus & majorem hujus Syllogiſmi itidem ad craſſam, quam de æternitate Dei fovent, ideæ nebulam originem ſui referre. Voluntas enim Dei ſive actus voluntatis (nam actus primus & ſecundus in Deo coincidunt) eſt actus immanens, qui non ad aliquid extra Deum conſtituendum egreditur, ſed Sanctiſſimum Numen, quodcunque vult, per eſſentiam ſuam volens menti noſtræ offert, quomodo creaturam, cui non repugnat Objectum potentiæ divinæ fieri, ſuæ immenſæ omnipotentiæ (in certo temporis inſtanti) ſubjiciendam, divinæque auræ afflatu animandam in individuo æternitatis puncto libere intuetur. Actus autem omnipotentiæ non intra divinam naturam ſubſiſtit, ſed ad rem extra Deum terminatur, atque à parte Dei eſt ipſa divina eſſentia, quæ cum omnis exiſtentiæ ſit fons atque origo, rem cujus æternam Ideam in mente geſſit, actu exiſtentiæ afficit, extra nihilum conſtituit, ad quam à voluntate divina per ſcientiam determinatur. E quibus facile patet, quantum diſcrimen inter Objecta divinæ voluntatis & omnipotentiæ intercedat, ut quæ æternitas Objecto voluntatis, qua volendo circa iſtud verſatur Deus, à nemine niſi in æternitatem Dei injurio poſſit detrahi, objecto tamen omnipotentiæ, qua per eam creatori jungitur creatura, ſit deneganda. Cum enim actus volendi in Deo æternus nihil ab ipſo nec ab ipſius ſcientia diverſum ponat, ac Ter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

Optimus Maximus non per ſpeciem intelligibilem impreſſam vel receptam, ſed per ſuam eſſentiam, in qua omnes creaturarum perfectiones partim formaliter, partim eminenter continentur, proprias tamen illarum rationes attingens rem producendam cognoſcat, ita ut eandem non producendam cognoſcere potuerit; eſſentia autem divina ſit æterna, non autem eo modo, ut infinitum æternitatis ſtadium quaſi decurrerit, ſed ſuam exiſtentiam unico momento permanenti omnibus inſtantibus ſive imaginariis ſive realibus coexiſtenti poſſideat: neceſſe etiam eſt, ut τὸ velle Dei, quoniam ipſa Dei eſt eſſentia, ſit unus ac ſimpliciſſimus individuæ æternitatis temporum differentias reſpuentis actꝰ, nullam, ut Scholaſtici loquuntur, ſive poſitivam ſive privativam admittens ſucceſſionem. Hic etiam locum habet tritiſſima Philoſophorum regula de eſſentiis rerum æternis vel de neceſſaria connexione prædicati eſſentialis cum Subjecto, cujus eſt prædicatum, explicanda, vel etiam de potentia objectiva æterna, qua ab æterno eam habuerunt rationem, ut quamvis illud eminens eſſe in eſſentia divina habere non potuerint, ab ea tamen in tempore poſſent produci. Philoſophi hoc eſſe Objectivum ac intelligibile tantum, nec non virtuale, quatenus ad virtutem producendi habet reſpectum, alterum è contrario reale, & quod citra mentis operationem datur, appellare conſueverunt. Longe autem alia ratio eſt omnipotentiæ rem à Deo diverſam & terminum extra agentem conſtituentis, qui, cum à Deo ut effectus neceſſario dependeat, ab eodem poſſit annihilari, atque adeo exiſtentiæ ſuæ tractum non ſimul ut Deus complectatur, nec duratio ſucceſſiva infinita detur; etiam Deo coævus exiſtere minime poteſt. Alioquin ſi Deus exiſtentiam non ſimul poſſideret, nihil obſtaret, quo minus ſingulis, quæ confeciſſet momentis, creaturam ſibi conjunctam habere potuiſſet, cumque ex hac licet falſa hypotheſi in infinitis extitiſſet momentis, etiam creaturam in infinitis exiſtere, atque adeo Deo coævam eſſe potuiſſe non eſſet negandum. Quo clarius autem hæc eluceſcat veritas, exemplo rem illuſtrabo, quo non tantum docetur, quam abſonum atque ab

omni

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

omni ſit ratione alienum ab æternitate Objecti voluntatis divinæ ad æternitatem objecti omnipotentiæ poſſibilem argumentari, ſed etiam non legitimam procedere conſequentiam ab actibus duobus in æternitate ſimul decretis ac prævisis ad eorundem in tempore poſſibilem in eodem momento conjunctionem. Sic quamplurimi Theologorum eam amplectuntur ſententiam, fore ut extremo die judicii tota hujus mundi machina ad nihilum revocetur. Quamvis igitur Deus ſalva hac hypotheſi, (de cujus veritate Sacræ literæ nos non ſinunt dubitare, multominus autem de poſſibilitate recta ratio,) decreverit ab æterno mundum hunc influxu ſuo conſervativo (certo itidem momento deſtinato) deſtituere, attamen non tantum fuit impoſſibile, ut hujus mundi exiſtentia ab æterno abrumperetur, (quoniam ut ſupra ad nauſeam usque inculcatum eſt) annihilatio rem, quæ annihilatur, ad minimum unicum in exiſtendo prius abſolviſſe momentum involvit, quo autem aliquid datur prius, illud non eſſe æternum certo conſtat,) ſed implicat etiam, ut ſimul in eodē puncto & creatio & annihilatio perfici poſſit aut potuerit (confer §. 14.) etſi in intellectu divino ratione actus decernendi & prævidendi neutra alteram anteceſſit. Cum ergo non minus urgens neceſſitas, (ut demonſtratum eſt) rem dependentem ab æterno creari, vel æternam eſſe vetet quam eandē ab æterno annihilari; nec effectus alius poſſit produci à Deo, quam natura rerum permittat, nec Deus aliter rem quæ produci poteſt, producendam concipiat, nec producere decernat, cum ipſius omniſcientia & voluntas à rerum ratione eſſentiam divinam modo obſcurius modo clarius adumbrante neutiquam poſſit diſcrepare, ſole clarius eſt, cum Deus mundum producere ab æterno decreverit & producendū præviderit non mundum ab æterno produci non abnuentem (vel producibilem cognoſci) neque ab æterno producendum ab eo decerni, atq; adeo cum omnipotentia non habeat pro Objecto rem impoſſibilem, & à voluntē ad agendum applicetur, à ſcientia dirigatur, etiam à Ter Optimo Maximo rem æternam non potuiſſe creari, vel creaturam creatori eſſe coævam q. e. d. Hoc modo omni dif-

 ficul-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

ficultate, quæ premere poterat ſententiam noſtram è fundamento ſublata, una fidelia duos dealbaſſe parietes, eademque opera etiam eos abſolviſſe videor, qui ab æternitate omnipotentiæ ad æternitatem effectus poſſibilem argumentantur. Ut adeo nihil aliud ſuperſit, quam ut huic controverſiæ valedicamus & omnem exuentes moram gradum promoveamus ad.

SECTIONEM II.

Quæ eam proponit quæſtionem: Utrum a Deo per abſolutam omnipotentiam creatura poſſit elevari, ut ſit cauſa creationis vel principalis vel inſtrumentalis, an vero non?

§. 18.

Sic tandem, benevole Lector, aura divinæ gratiæ cœptis adſpirante è caliginoſa æternitatis abyſſo, in quam nos non noſtra voluntas, ſed adverſariorum immodeſtia infinitam durationem Dei cum creatura quodammodo communicantium; detruſerat, emerſimus & ſimul, ſi quid veri mens auguratur, veritatem non in puteo Democriti latentem ſed pene naufragam & decumanis hujus Oceani fluctibus jactatam Neptuni ſævitiæ eripuimus terrisque redditam nitori ſuo reſtituimus. Jam noſtri officii ratio poſtularet in ipſo littore atque aſpectu maris, non quem Gentilium commenta fluctuum Dominum celebrant, ſed Ter Optimo Maximo ſacrificare, ac votivam appendere tabulam, ni nos idem æſtus, qui in portum impulit, navigationis nauſea confectos in altum iterum abriperet, tempeſtatumque ac procellarum arbitrio ſubjiceret. Quare, cum contra tendendo nihil proficeremus, nec adverſo flumine navigare tutum ſit, ſed quo fortuna vocat, ſequendum ac vela ventis permittenda ſint, iſta methodus, quam mihi in veſtibulo hujus operis præſcripſi, nauticæ inſtar pyxidis erit, à qua nunquam deflectendi oculi, ſed ad cujus legem navigationis curſus dirigendus, quo tandem in optatum laboris portum provehamur. Auſpicabor itaque etiam hanc materiam ab evolutione terminorum ſimplicium, & quoniam ea, quæ §. 3. de Creatione, Creatore, & creatura dicta ſunt, parte laboris nos ſublevant, ſtatim ad naturam cauſæ principalis & inſtrumentalis, quan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

quantum earum cognitio præſenti negotio ſubſervit, indagandam paramus acceſſum.

§. 19.

Neminem autem eſſe arbitror, qui ignoret, hanc diviſionem cauſæ in principalem & inſtrumentalem non omnia cauſarum genera pervagari, ſed tantum ad claſſem efficientium eſſe referendam. Cauſa autem efficiens meo quidem judicio, ne diverſis diverſorum expendendis definitionibus res protrahatur, eſt, quæ rem aliquam phyſico influxu (natura enim cauſæ efficientis in ſua latitudine & phyſicam & moralem complectentis ſtudio brevitatis non exprimitur) à potentia activa dependente producit. Hæc cum ſit generalis cauſæ efficientis ratio adeoque omnibus inferioribus aptari debeat, miſſis aliorum definitionibus partim cauſam principalem cum prima, inſtrumentalem cum ſecunda confundentibus, partim indolem harum obſcurè ac minus accuratè declarantibus, diſcrimen utriusque in eo cenſeo collocandum, quod principalis per ſuam ipſius intrinſecam potentiam activam effectum producat, cauſa inſtrumentalis vero, (quæ non ex æquo cum principali naturam cauſæ efficientis participat) non per ſuam potentiam activam (ſive activa potentia gaudeat ſive non) ſed per alienam extrinſece ſibi communicatam ad effectum producendum applicetur, ac alius cauſæ virtute activa cauſandi actum exerceat. Quibus qualibuscunque deſcriptionibus ab exemplis ingens accedet lumen. Ita, qui projecto lapide adverſarium proſternit, cauſa principalis eſt, cum per activam potentiam motum lapidi impreſſerit, lapis autem inſtrumentalis, quod licet propius attigerit hoſtem, tamen hanc actionem edere non potuiſſet, niſi aliena potentia elevatus. Sic gladius, quo alter transfixus eſt, chalybis laminam manu artificis elaboratam, eâque longitudine, latitudine, profunditate, gravitate, acumine, figura cœteriſque qualitatibus præditam, quæ ad ſolvendam corporis continuitatem requiruntur, principali cauſæ ſubminiſtravit, quæ viciſſim ei impetum atque motum ad confodiendum hoſtem largita eſt eundem continuans, donec mucro hoſtili cor-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

pore ſit exceptus. Quoniam autem creaturæ dependentia à ſummo Numine non tantum ad exiſtentiam ejusque conſervationem ſed præterea ad operationes extenditur, cum utraque cauſa principiali (non minus etiam cum inſtrumentali, ut & cum omni cauſa materiali, (inſtrumentalis enim reſpectu cauſæ principalis habet rationem cauſæ materialis) concurrit Deus facultatem inditam non modo eadem, qua indidit actione, ab interitu vindicando, ſed & eodem inſtanti, quo ille lapide adverſarium hic vero gladio ipſum petebat, numinis ſui aura quaſi afflando juvando, atque efficiendo, ut ab ea corporis vel membri proxime inſtrumentum contingentis emanaret motus, cujus beneficio ſimul & lapis impulſus manu explicata âerem intermedium non ſine magna violentia rumpebat, donec tandem capiti adverſarii alliſus deperdito motu, qui etiam alias ſenſim langueſcens finiri debuiſſet, in terram decideret. Eodem plane modo in altero exemplo ſeſe res habet. Cui adhuc unicum ſubjungo, quo non parum aſſertionis meæ veritas confirmari, ac diſcrimen inter principalem & inſtrumentalem poteſt declarari. Sic, ſi quidam hominum hominis alterius renitentis manum valentior per ſummam violentiam applicaret ad tertium quendam verberibꝰ adficiendum, ille qui hoc modo alterius manu uſus eſſet, cauſa principalis, alter vero, qui quamvis pro virili reluctatus non tamen prohibere potuiſſet, quo minus alii ſua manu inferretur injuria, etſi potentia activa ad hanc actionem exercendam neceſſaria non deſtitutus cauſa inſtrumentalis (non vero inſtrumentum) eſſet, eoque nomine, quoniam hujusmodi actio non mixta ſed plane invita eſt, ab omni pœna abſolveretur. Sufficit enim, quod hic actus ab ipſius virtute activa non ſit profectus, ſed quantum viribus ac robore valuit, alteri reſtitit, ne alter ſua manu indignis modis tractaretur.

§. 20.

Hoc modo rationem cauſæ principalis & inſtrumentalis quodammodo adumbratam eſſe, & ſimul inde liquere exiſtimo, non tantum cauſam ſimpliciter primam, qualis præter Ter

Opti-

Optimum Maximum nulla datur, nec dari poteſt, hunc titulum mereri, ut cauſa principalis ſalutetur, ſed etiam in ſocietatem venire cauſam ſecundam, quæ potentia activa operationes ſuas exequitur, licet ad producendos effectus ſuos requirat concurſum cauſæ primæ absque eo ne hilum quidem efficere valens. Reſtat igitur, ut diſpiciamus, quid ſub voce elevari noſtræ menti offeratur. Quod non commodius fieri poteſt, quam ſi nobis in memoriam revocemus inter alias potentiæ diviſiones non ultimum invenire locum, qua ratione effectuum ſuorum diſpeſcitur in naturalem & obedientialem: quarum illi reſpondet effectus, qui ſub vires naturæ ſuæ cadit; huic vero, qui non ſub ſuæ naturæ vires cadit. Utraque novam ſubit diviſionem in paſſivam & activam. Potentia naturalis activa eſt, quæ effectum vires naturæ ſuæ non excedentem producit: obedientialis activa è contrario, quæ effectum ſuas vires excedentem virtute agentis ſupernaturalis aut viribus ab ipſo conceſſis producit. Potentia naturalis paſſiva eſt, quæ per agens naturale, obedientialis paſſiva, quæ non per agens naturale ad actum poteſt traduci. Quando igitur à creatura ſive in genere cauſæ efficientis ſive materialis cauſalitatem exercente talis dependet effectus, quem vel potentia naturalis aſſequi nequit, vel qui Subjecti capacitatem & potentiam recipiendi naturalem excedit, tunc dicitur elevata eſſe à Deo; qui ordini naturæ non ſubjectus per ſuam abſolutam potentiam viribus creaturæ naturalibus vel tantum adjicit cumulum, quantus ad effectum producendum requiritur, vel quas invenit, virtute divina movet, excitat, & ad agendum applicat, vel etiam à parte Subjecti operationis defectum potentiæ naturalis ſupplet illud ita diſponendo, ac præparando, ut levem impulſum creaturæ pro ſua tenuitate agentis ingens ac ſupernaturalis mutatio ſubſequatur. Primus modus agendi habitu variarum exoticarum linguarum Apoſtolis divinitus infuſo poteſt declarari. Convertendæ enim erant tunc temporis gentes, & ad ſaniorem de DEO ſenſum traducendæ. Viſum autem fuerat Numini ſupremo non viris doctis & ingenuarum artium ſtudio politiſſimis,

fa-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

facultate præterea, quam ſibi multo labore ac induſtria pepererant, nobiliores terrarum orbis gentes, unamquamque patrio ſermone compellandi inſtructis ſed plebejis, illiteratis, ac infimæ ſortis hominibus, qui maximam vitæ partem piſcatu transegerant, hanc Spartam demandare. Quo majori autem ſucceſſu numeros officii ſui implerent, nec per adhibitos interpretes, ſed ſuo ore populos ad veri DEI cultum erudirent, cum nullam aliam præter Hebræam ac Syriacam, quibus innutriti erant, callerent linguam, & opus eſſet, ut etiam aliis ſenſa animi poſſent exprimere: Spiritus Sanctus hac præclara notitia uno momento ſeſe intellectui offerente dotatos ad muneris ſui vices obeundas dimiſit. Pertinent huc in altera vita viſio Dei beatifica clara & intuitiva, & qui ab ea naſcuntur in voluntate in Deo cognito acquieſcente actus amoris ſummi ac ineffabilis, item radii æternæ gloriæ, quibus corpora beatorum fulgebunt, ut impasſibilitas, ſubtilitas, agilitas &c. Intermedium autem agendi modum haud obſcure declarat hominis peccatoris converſio, qui cum ſibi relictus è ſordibus vitiorum, quibus volutatur, non aſſurgere, è caligine ac tenebris peccatorum ad lucem Chriſtianarum virtutum aſpirare non poſſit, opus eſt virtute ac gratia Sp. Sancti, qui ipſum primos motus, quos in ipſo producit, non excutientem, nec gratiæ inchoanti ac pii deſiderii igniculos excitanti repugnantem ad actus ſupranaturales elevet; ut priſtina impietate ejurata vitam ſerio emendare conſtituat, ac myſteriis, quæ ad credendum proponuntur, immotum præbens aſſenſum fidei ſpecialis ac ſalutaris Objectum Chriſtum Salvatorem apprehendens inque merito ipſius acquieſcens ſibi veniam peccatorum certiſſimam promittat, omnem ſalutis æternæ conſequendæ ſpem in ipſo unice figat, ac animum ſuum ad divini Numinis placitum ab eodem Spiritu fingi ac refingi permittat. Ad hunc ſecundum modum etiam hiſtorias quorundam virorum ſanctorum, è regione in qua agebant, abreptorum, atque exiguo temporis ſpatio in terras longiſſimo intervallo disjunctas translatorum non dubito referre. Poteſt etiam hæc divina elevandi ratio exemplis à

po-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

potentiis naturalibus deſumptis quodammodo adumbrari. Eadem enim clava, ſi ab Hercule quodam tractatur, majorem poteſt edere ſtragem, quam ſi quiſpiam valetudinarius ac vix oſſibus hærens ea utitur. Eadem ſecuris, quæ findendis lignis adhibetur, id invalido præſtare renuet, quod alius inſigni robore pollens ejus miniſterio facile efficiet. Sic lapis, jaculum &c. longe majori vi propelletur, aeremque obſtantem rumpet ab homine adulto, quam puero ſexenni emiſſum. Si ergo effectus, qui ab eodem inſtrumento proficiſcitur, pro diverſitate graduum potentiæ activæ, quibus in naturalibus cauſa principalis principalem antecedit, modo major, modo minor eſt; quanto illud opus ſupra omnia, quæ naturæ viribus conceſſa ſunt, eminere, ut concedamus æquum eſt, quod neminem mortalium, ſed ipſum Ter Optimum Maximum totius mundi architectum per hominem ſive aliam creaturam, ut cauſam inſtrumentalem, divinam virtutem ordini naturæ non adſtrictam, ſed cui omnia, quæ rationem Entis habent, ſubjacent, agendo aperientem agnoſcit auctorem? qualis non effectus ab ipſius omnipotentis dextræ robore expectandus eſt? quamvis interim certum ſit, illum non poſſe Objectum potentiæ cauſæ inſtrumentalis vel naturalis adæquatum excedere. Quo tertius modus elevandi declarari poſſit exemplo, jam non ſuccurrit, nec ut arbitror, inventu facile eſt: interim tamen poſſibilitas rei ſole meridiano clarius eluceſcit.

§. 21.

Sic, cum in veſtibulo atque limine aliquandiu hæſimus, in quo minores cauſæ, quæ è prima naſcebantur, quibus non excuſſis ad verum iter non eſt, nos detinuerunt; nunc ad ipſa penetralia viam affectamus, ipſam cauſæ arcem invadimus ipſam quæſtionem inter tot difficultatum ſpinas enatam examini ſubjicientes. In qua decidenda tot variæ Philoſophorum concurrunt opiniones, in tot diverſas, imo contrarias literarius orbis diſtrahitur ſententias, ut qualibet ſecta ceruſſam ſibi allinente non tantummodo electio admodum ſit difficilis, ſed verè hic locum habeat vulgare ac vetuſtate tritum proverbium: Quot

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

capita, tot placita, quot homines, tot ſenſus. Thomas Aquinas Scholaſticorum princeps ac Coryphæus, ut veriorem amplexus eſt ſententiam, ita eandem quidem maſculé propugnat; ſed vires votis non reſpondiſſe videntur. Ab hoc in quibusdam divortium facit Suarezius, qui hanc quæſtionem in ſua, è quibus coaluit, membra reſolvens ac cum diverſis cognoſcendi principiis conferens, ut cauſam principalem puta à DEO dependentem in agendo non poſſe elevari ad creandum utraque manu largitur, ita tamen ſimul negat eam creaturæ impotentiam è lumine naturæ poſſe demonſtrari; ratus hanc veritatem tantummodo è Theologia revelata nobis innoteſcere, rationes autem quæ hoc ſuaderent, altius non aſſurgere, quam ut eminentiam hujus actionis quodammodo declararent. Quod ad alterum membrum attinet, plane à Thoma Aquinate diſſentit, non repugnare, quin creatura ut cauſa inſtrumentalis ad creandum adhiberi poſſit, autumans. Quam poſteriorem etiam partem Scheiblerus approbat, qui in eo tamen à Suarezio diſſidere videtur, quod cum hic neget tenuitatem creaturæ vetantem, quo minus creationis poſſit eſſe cauſa principalis, lumine naturæ poſſe detegi, ille tamen id efficere tentarit. Omnibus vero ſeſe oppoſuit Durandus non tantum creaturam à Deo per abſolutam omnipotentiam poſſe elevari, ut ſit cauſa creationis vel principalis vel inſtrumentalis contendens, ſed etiam adverſæ partis argumenta nonnulla ſatis feliciter reſolvens.

§. 22.

Etſi enim ratiocinium iſtud ab infinita virtute ad creandum requiſita deſumptum, in quo creaturæ hanc inſignem prærogativam denegantes inter alia ſpem victoriæ collocarunt, non omnino ſit contemnendum, tamen ſi iſta infinitas ab infinita Entis à nihilo diſtantia poſitiva, quod nonnulli faciunt, derivatur, tanti ponderis non eſt, ut pertinacem adverſarium poſſit ad ſuas partes pertrahere. Recte enim olim Scotus & Durandus diſtantiam iſtam accurate loquendo non infinitam, ſed potius indeterminatam atque indefinitam appellandam eſſe oſtenderunt, cum infinito nihil ſit majus, hac autem diſtantia

ma-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

major detur nempe illa, quæ inter Ens, quod Objectum omnipotentiæ divinæ fieri poteſt, & Ens contradictionis, quod tantum in intellectu eſt, intercedit, Ens autem creationis tantum à nihilo diſtet, quantum de natura Entis participet, ac ſecundo illa tantum infinite diſtent, quorum alterum ſupra alterum infinitis perfectionum gradibus excellit.

§. 24.

Propius autem Thomas Aquinas ad ſcopum accedit, majorique probabilitatis ſpecie ſuam commendat rationem, qui illam infinitatem virtutis ad creandum neceſſariæ maxima improportione inter potentiam & actum intercedente metitur. Nam, quo magis potentia aliqua ab actu eſt remota, eo major requiritur in agente virtus: quando ergo tantum intervallum ac ſpatium inter potentiam & actum, ad quem traducenda eſt, interjacet, ut plane potentia ad actum nullam habeat proportionem, etiam virtus creandi omnem aliam potentiam ſine ulla proportione debet excedere, eaque neceſſario eſt infinita; cum tantum finiti ad infinitum nulla detur proportio. Verum ne hanc quidem rationem omni exceptione eſſe majorem jamdudum oſtendit Suarezius, qui argumentum hoc id ſolummodo probare recte aſſerit, quod inter virtutem creatricem & eductivam è potentia materiæ nulla ſaltem intercedat proportio: hinc tamen non recte inferri, illam infinitam eſſe ſimpliciter, ſed ſufficere, ſi ſit alterius ac nobilioris ordinis ac infinita ſecundum quid, quam admittere nullum eſſe inconveniens arbitratur.

§. 25.

Plane autem ridicula eſt ratio, quam Ochamus adduxit, creaturam non poſſe elevari, ut ſit cauſa creationis, demonſtrare conatus, nec etiam huc referri meretur manifeſtæ falſitatis convicta. Legi tamen poterit ap. Suarezium c. 20. diſp. &c. ad quem benevolum lectorem remitto, qui, & quæ §. 24. & 23. in medium ſunt prolata, fuſius ibi expoſuit, & ſingulis datam reſponſionem ſubjunxit. Nolo enim actum agere, nec de charta deſcribere in papyrum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

§. 26.

Sed nec ipſe Suarezius, qui cenſendi jus in alios ſibi arrogavit, id ipſum in ſe recuſare debet. Non poſſum enim ſilentii tenebris involvere argumentum ipſius, quo hanc creaturæ impotentiam, quo minus influxu cauſæ principalis poſſit creare, quam è lumine naturæ non poſſe probari contendit, è fide tamen oſtendere, ſed irrito eventu conatur. Putat enim ſibi ſufficere, quod è Sacris literis conſtet, nullam creaturam unquam ad actum creationis fuiſſe evectam; inde porro prono alveo fluere nullam creaturam habere creandi potentiam, ſi autem nulla creatura creandi habeat potentiam, ſole clarius eſſe, nullam creari poſſe creaturam hac facultate inſtructam. Rationem addit hanc, *quia ſi talis creatura eſſet posſibilis, conſtitueret ſane alium ordinem & gradum creaturæ præter eos, qui nunc ſunt, quia haberet diſtinctum & altiorem operandi modum: ergo pertinuisſet ad perfectionem univerſi, ut in eo eſſet talis creaturarum ordo ſeu gradus: ergo è converſo, cum Deus condidit hoc univerſum ſine tali creatura, ſignum eſſe, illam non contineri in ordine creaturarum, neque eſſe poſſibilem; ideoque ad complementum univerſi non pertinere.* Si pro conjectura hanc rationem venditaret, ferendus eſſet, nunc autem, cum ipſi cogentis demonſtrationis vim tribuit, quam vehementer erret, brevibus admonendus eſt. Unde enim hauſit eam opinionem, hanc rerum univerſitatem ad omnis decoris faſtigium eſſe perductam aut perduci potuiſſe? An ergo omnipotentia divina certis limitibus ac terminis coërcetur, ut non quavis ſpecie nobiliorem ac perfectiorem creaturam poſſit creare, in qua ſua majeſtas majori in gradu eluceat? An ergo in virtute divina aliqua continetur creatura, qua non in infinitum uſque nobilior in theſauris omnipotentiæ ipſius lateat, quæ non perfectius eſſentiam DEI imitetur, & iterum ab aliis longe perfectioribus in infinitum poſſit ſuperari? nonne ergo præter Angelos intra primum ſeptiduum conditos, & animas rationales alii produci poſſunt Spiritus, qui ad exemplar hoc, è quo hi ducti ac propagati ſunt propius accedant infinitis tamen gradibus non dicam à Deo, ſed ab ultima perfectione

cre-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

creaturarum poſſibilium abfuturi. Quemadmodum enim infinitam creaturæ à parte ante durationem implicare demonſtratum eſt, eodem modo & ſemper propius ad divinam eſſentiam accedendo ad ſummum poſſe perveniri apicem repugnat, cum eſſentia Dei ſic non foret infinita, & potentia neceſſario exhauriretur. Ut adeo Suarezius non ſit abſimilis iis, qui quærunt, cum Deus quodlibet momentum imaginarium in æternitate retro deſignatum in infinitum usque, mundum creando antevertere potuiſſet, cur non citius creaſſet; Cum potentia ipſius ſit infinita, non plures angelos, homines, animalia plura, quam fuerunt, ſunt & usq; ad conſummationem ſeculi futura ſunt, condidiſſet: quot enim imaginaria momenta mundum producendo Deus occupaſſet, quemcunque numerum multitudo creaturarum exceſſiſſet, ni in libertate divini arbitrii acquiescamus, eadem ſemper recurret quæſtio. Quid quod ſuo ipſius gladio Suarezius jugulari poſſet, ſi cum eo ex conceſſis diſputans nullam creaturam eo eniti poſſe divina virtute elevatam, ut vel cauſa creationis ſit inſtrumentalis contenderem (quod tamen non repugnare, Orbi erudito ut perſuadeat, omnem lapidem movet) quoniam eadem certitudine nullam creaturam fuiſſe creationis cauſam inſtrumentalem, qua eandem principalem (à Deo dependentem) non fuiſſe conſtat: ergo ex ipſius hypotheſi ea nullam habuit potentiam creandi, ſi autem nullam habuit (Suarezio iterum nobis præeunte) nulla poteſt condi hac facultate inſtructa: *pertinuiſſet enim ad complementum univerſi, ut etiamſi creatura non potuiſſet principalis* cauſæ influxum præſtare, ſaltem, ſi non repugnaret, inſtrumentalis munere fungeretur, *& in mundo talis creaturarum ordo ſeu gradus extaret, cum autem e contrario Deus mundum ſine tali creatura condiderit, ſignum eſt illam non contineri in ordine creaturarum, neque eſſe poſſibilem, ideoque non ad complementum univerſi pertinere.* Sane, quomodo his plagis, quas ipſe ſibi tetendit, ſe poſſit expedire, non video.

§. 27.

Sed non minus animum ſubiit mirari, quid pleriſque Philo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

loſophis in mentem venerit, qui huic controverſiæ manum calamumque admoverunt, ut cum dedita opera tractationis ſuæ primordia petierint à diſtinctione cauſæ in cauſam principalem ac inſtrumentalem, quam potentiam cauſæ principali licet à DEO dependenti detraxerunt, inſtrumentali tamen ambabus manibus largiantur. Tantum quidem abeſt, ut hanc diviſionem improbem, ut potius ſemper exiſtimaverim, Philoſophos ea non poſſe carere, niſi ſimul ſcientiæ quandam facere velint jacturam. Verum unde hæc inter eas ad omnipotentiam divinam collatas oriatur diverſitas, ut altera præ altera majori gaudeat privilegio, ac quæ excellentia in agendo illi denegatur, huic viciſſim non ſit deneganda, captum meum, ut ingenue fatear, excedit. Ego enim omnino mihi habeo perſuaſum, id tantum inter principalem ac inſtrumentalem, ut jam ſupra §. 20. dictum eſt, intercedere diſcriminis, quod illa cum per ſuam intrinſecam ac propriam potentiam activam ad agendum applicetur, quando ea potentiæ paſſivæ, quam cauſa inſtrumentalis habet, ad effectum producendum applicandæ non ſit æqualis, pro modulo tantum virium ſuarum agat, ac effectum producat virtuti ſuæ activæ tali potentia paſſiva cauſæ inſtrumentalis inſtructæ æqualem, huic è contrario à cauſa externa ad agendum motæ, ſi illa majorem virtutem activam attulerit, effectum etiam perfectiorem reſpondere. Exempla, præterquam quod cuivis ſunt obvia §. 20. ſuppeditabit. Eodem modo putarem, ſi creatura Deo creanti ut cauſa inſtrumentalis poſſet ſubordinari & vel inſigni virium ſupernaturalium conceſſarum acceſſione augeretur, vel majori virtute activa, quam quæ in agentia naturalia cadit, moveretur, & hanc ipſam cauſam inſtrumentalem vel etiam aliam creaturam viribus potentiæ paſſivæ cauſæ inſtrumentalis ad creandum elevatæ reſpondentibus & operi perficiendo ſufficientibus activis poſſe inſtrui ac dotari, ut proinde vel ipſa, quæ cauſa inſtrumentalis fuerat, vel alia creatura hoc modo elevata vices principalis obire poſſet, adeoque omne diſcrimen inter cauſam principalem & inſtrumentalem elevatas ratione effectuum exoleſceret. Certe quamdiu

diu hunc elevandi modum repugnantiam involvere non evictum eſt, meum ſentire fas erit. Quemlibet interim ſuo abundare ſenſu permitto, utpote, cui quantum ad præſens attinet negotium, parum intereſt, utrum quis aſſenſum huic opinioni præbeat, an vero non, cum ſi vel maxime aliter res ſeſe haberet, rationes tamen infra afferendæ eas certe æquent, & ſub uno velut fato cogant, neutri præ altera relinquentes prærogativam.

§. 28.

Quem laborem ſtatim nulla ulteriori mora interpoſita ſuſciperem, ni Chriſtophorum Scheiblerum mihi obſtrepentem audirem; quem ad præmuniendam ac commendandam meam demonſtrationem brevibus refelli magnopere intereſſe videtur. In eam enim opinionem hic vir ſe paſſus eſt abripi, ut putet miracula, quæ in Sacro Codice miniſterio ſanctorum virorum, Prophetarum, Apoſtolorum leguntur perpetrata, favere creationi creaturæ ut cauſæ inſtrumentalis, ſibique auxiliatrices porrigere manus ad oppoſitam ſententiam funditus evertendam. Ratiocinium, quod lubrico huic fundamento ſuperſtruxit, ita ſe habet: *Cujus virtutis eſt ἀνακτίζειν, ſive rem ex inhabili materia creare, illius eſt κτίζειν ſive rem ex nihilo producere.* Atqui multi ſanctorum gaviſi potentia, ut rem ex inhabili materia crearint. E. etiam ſimpliciter creare potuerunt, & nulli creaturæ repugnat, ut poſſit eſſe cauſa inſtrumentalis. Sed inanium vocum tinnitu ac terminorum luſu non impetrabit, ut quispiam, niſi, qui vento ſuffocari, aut leviſſima rationis aura moveri poteſt, ei album calculum adjiciat. Liberaliter autem hic agam cum Scheiblero, nec ei movebo controverſiam de eo, an ſcilicet viri illi θεοφιλέςατοι, quorum pietatem, vitæ ſanctimoniã, vocationẽ divinam his velut notis ac indiciis Ter Optimus Maximus comprobare, contra improborũ calumnias munire, doctrinamq; cœleſtem ex ipſorũ ore effluentem auribus atq; animis admittendam, deniq; ipſorum exemplum ad imitationẽ populo ſuo proponendũ voluit com̃endare, illorum miraculorum fuerint cauſæ phyſicæ inſtrumentales, ita ut virtute manuum ac inſtrumentorum, quæ Deo commodabant elevanda ac ſupernaturalibus viribus augenda, admirandi iſti effectus divinæ omnipotentiæ fu-

fuerint producti, & Deus vel non immutando naturam, ſed tantum efficiendo, ut potentia paſſiva ſubjecti actum beneficio cauſæ inſtrumentalis tantis viribus inſtructæ impreſſum, ad quem recipiendum erat idonea, reciperet, & ut cauſa univerſalis defectum creaturæ tantummodo ſupplendo, cum materiali concurrerit, vel ſi eo confugere placet, ad minimum motus a cauſa inſtrumentali profectus talem effecerit mutationem, quæ longe majorem è Subjecti natura naturæ domini juſſu obſequentis fluentem ſecum traxerit & trahere debuerit. Ut adeo ſcipio Moſis petræ impactus aquas in viſceribus terræ ac hydrophylacio Dei contentas in ſuperiori ſuperficie petræ erumpere coëgerit, idem ſcipio alio tempore à Moſe in iſtam metamorphoſin phyſicum præbente influxum projectus duritiem ligni exuerit, ac in ſerpentis naturam abierit: clamor militaris ab exercitu ſublatus muros urbis Jericho concuſſerit atque proſtraverit, viamque Iſraelitis per ruinas tranſcendendi ac in urbem irrumpendi aperuerit: ac flatus Eliæ animam defuncti pueruli vinculis corporeis ſolutam corpori iterum alligaverit: & vel contactus Apoſtolorum aut etiam vox divinum auxilium vel implorantium, vel omnipotentiam celebrantium artifici linguæ motu formata ægrotos graviſſimis ac exitialibus morbis levarit, quemadmodum qui in Agulia regione regno Neapolitano annexa à Tarantula icti ſunt, beneficio Muſices priſtinæ ſanitati reſtituuntur. Quamvis enim haudquaquam negem divinam omnipotentiam opera horum virorum, ut cauſarum inſtrumentalium ad perficienda iſta admiranda opera uti potuiſſe, (niſi fortaſſis illud Eliæ exemplum puerulum reſuſcitantis excipiendum ſit, ſi nempe ſtatuas, flatum hujus Prophetæ non tantum in corpus impetu morbi fata maturantis expugnatum ac proſtratum valuiſſe, ſed etiam animam ſub leges priſtinæ ſervitutis revocaſſe, quoniam hoc in caſu non intra generalem activitatis rationem cauſa inſtrumentalis elevata ſeſe continuiſſet,) tamen an uſa fuerit, vel ad minimum ſemper fecerit, eſt, quod dubito. Nec enim citra prægnantem cauſam miracula miraculis cumulare præſertim nihil determinante Sacra Scriptura, ſed potius ipſam

pſam divinam manum cum nulla alia cauſa ſive principali ſive inſtrumentali elevata concurrentem horum operum, ſi non omnium, certè quam plurimorum effectricem ac cauſam ſolitariam agnoſcere debemus, quæ ad ſanctorum virorum otioſam ratione effectus præſentiam & contactum inefficacem admirabilem ſuam agendo potentiam oſtenderit, eos autem tum ob illas cauſas, quas ſupra memoravi, tum etiam propterea adhibere ac aſſignato munere defungi voluerit, ut non tantum ceremoniarum, quibus Deus hos actus vires naturæ excedentes celebrari voluit, conſtaret ratio, ſed etiam qui ſpectatores adſtarent poſtmodum futuri teſtes, quando & homines & ea inſtrumenta operi admoveri, à quibus neutiquam ſecundum naturæ ordinē poterat proficiſci, viderent, eo minꝰ naturalibꝰ cauſis vulgo non cognitis adſcriberent effectum, ſed animadvertentes non aliter niſi ad illorum operationem effectum tamen non attingentem hæc miracula edi, non fortuito caſu accidere, ſed omnia fato definiri, fieri ac dirigi meminiſſent. Si autem ſum̄o noſtro jure non utamur, ſed Scheibleri voluntati obſequentes (quemadmodum etiam poſſibilitatem concedendo huic exceptioni in hoc negotio nobismetipſis viam præcluſimus) concedamus, fuiſſe ſanctos viros miraculorum editorum cauſas inſtrumentales à Deo elevatas; ſuam tamen conditionem inde non fieri meliorem, nec hoc probandi onere ſublevatum ſe facilius deſtinata exequi poſſe ſentiet. Majoris enim ſuæ: Cujus virtutis eſt ἀνακτίζειν, illius eſt κτίζειν, & rationis, quam huic, ut ſubſidiariam præſtaret operam, ſuccenturiavit, nihil his miraculis ad rationem creationis defuiſſe, quod ex ſua hypotheſi (quæ πρῶτον ψεῦδος in hac controverſia ipſi fuiſſe cenſenda eſt & cap. XIV. L. 1. Met. proponitur) nulla potentia rebus ad iſtos actus recipiendos, ſed tantum mera conveniat non repugnantia, falſitas in aprico eſt, ac pene ſenſuum judicio poteſt cognoſci: nec mihi, ut eam oſtendam, multum erit laborandum. Quis enim eſt, qui ignoret, potentiam (non autem loquor de illa, quæ per quandam ἀκυρολογίαν hoc nomine interdum appellatur, ſed veræ ac realis potentiæ habet rationem) divi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

di poſſe in proximam & remotam, (cum qua ſæpe coincidit diviſio, cujus membra conſtituunt potentia univerſalis & particularis) eandemque potentiam ratione effectus ſpectatam etiam in naturalem & obedientialem diſpeſci, cujus ultimæ deſcriptio è ſuperioribus repetenda eſt. Potentia autem proxima illa dicitur, inter quam & actum nulli actus intercedunt, remota, inter quam & actum alii intercedunt actus. Quas diviſiones præſenti materiæ applicans Scheiblero quidem ambabus largior manibus, potentiam iſtam, quam Subjecta operationum in actionibus iſtis miraculoſis habuerunt, reſpectu cauſarum inſtrumentalium, antequam ad agendum fuerint elevatæ, fuiſſe valde remotam, eam tamen citra reſpectum ad cauſam naturalem conſideratam veræ potentiæ nomen tueri ac retinere non poſſe neutiquam eſt admittendum. Conſulto autem inſerui hanc limitationem, non eſſe remotam iſtam potentiam ad cauſas naturales referendam, non ignorans in omnibus fere Metaphyſicis ſub titulo potentiæ & actus moneri, potentiam nimis remotam appellationem potentiæ amittere, quod inde factum puto, quod Auctores hi tantummodo communem loquendi conſuetudinem ac quotidianum ſermonem in rebus ſub ſenſum cadentibus ac proinde etiam potentiis naturalibus objectum Phyſices conſtituentibus tantum occupatum reſpexerint; cujus limites cum hæ ſpeculationes excedant, mirum non eſt, etiam potentiæ nimis remotæ inter potentias phyſicas nullum relinqui locum: quamvis, ſi id quod res eſt, fateri velimus, cauſæ potius efficienti activa effectui ſufficiens, quam huic ratio potentiæ paſſivæ ſit deneganda. Sed ut ad rem rediens meo probationis munere defungar; illud ſane Scheiblerus non negabit, in hiſce, quæ jactat, miraculis, agenti cauſam materialem ſubſterni, motum à cauſa efficiente productum in ea recipi, formam harum cauſarum in potentia materiæ contentam educi, in Subjectum induci, & quod non eſt omittendum, omnium horum Subjectorum unam eandemque eſſe materiam primam ad quaslibet formas ſuſcipiendas indifferentem, eamque potentiam remotam tamen eſſe propinquam reſpectu ali-

orum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

orum actuum (dari enim Ens, cui nulla ne paſſiva quidem competat potentia, impoſſibile eſt,) quibus intervenientibus tandem ad iſtum, à quo tantopere diſtat, actum poſſit traduci. Si ergo Subjectis operationis in actibus miraculoſis vera tribuenda eſt cauſalitas, & à poſitione actus ad ponendam potentiam legitima procedit conſequentia, ſi hoc modo motus in ipſorum potentia paſſiva eſt receptus, forma ipſorum è potentia educta, in Subjectum inducta: ſi ipſorum materia prima ad omnes formas ſuſcipiendas fuit æque indifferens & etiamnum eſt indifferens, ſi variis intercedentibus actibus, quibus potentia ipſorum complenda erat, tandem ad hunc actum, quem in miraculis hiſce terminabant, deveniri potuit, quis niſi mente captus veram ipſis licet valde remotam ineſſe potentiam nec meram non-repugnantiam Scheibleri hic habere locum in dubium vocabit? Nemo non videt, quam facile mihi eſſet, his, quas ſumma rerum ſequens faſtigia tantum intimavi, rationibus Scheiblerum obruere, ni verborum ac operæ facturus compendium perituræ chartæ peperciſſem. Quare illud tantum addo, eandem potentiam eſſe & remotam & propinquam, ſed pro diverſo cauſæ efficientis reſpectu, remotam eſſe reſpectu ejusmodi efficientis cauſæ, quæ non ea vi ac virtute pollet, ut citra ambages multiplicis mutationis ultimo actui viam ſternentis effectum poſſit producere, propinquam eſſe reſpectu cauſæ efficientis, quæ tantam poteſt afferre potentiam ad agendum, ut ſimul & formam contrariam repugnantem tollere & novam absque mora in ſubjectum ex ipſius potentia paſſiva poſſit inducere. Ubi etiam è ſuperioribus repeto, nullam inveniri in Subjecto potentiam paſſivam etiam remotiſſimã, cui non vel in ipſo Subjecto vel in alio per abſolutam omnipotentiam Dei poſſit dari potentia activa æqualis ac proportionata, quæ ipſi reſpondeat, ac potentiam hanc remotiſſimam non intervenientibus aliis actibus ad actum, cujus ratione remota dicebatur, traducere valeat, ut adeo cum ejusmodi cauſa collata non remotæ, ſed propinquæ induat naturam. Sic ut veram potentiam paſſivam cuilibet Subjecto comparatione actus remotiſſimi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

tiſſimi ineſſe] demonſtratam & materiæ primæ ad quamcunque modificationem ſubeundam indifferentiam exemplis declarem: eædem atomi lapidum, è quibus dicente Salvatore Abrahamo per abſolutam omnipotentiam Dei poſſunt excitari liberi, æque propendebant ad eam molecularum ſuarum ſymmetriam atque coordinationem, quæ naturam corporis humani, quam lapidis conſtituit, & cum inter atomos elementales corporis humani & lapidis nulla niſi numerica intercedat diverſitas, quare illæ corporis humani, hæ vero lapidis formam ſuſceperint; nulla alia poteſt reddi ratio, quam è libertate Entis liberrimi petita illis illam, his vero aliam aſſignantis formã. Et cum proinde lapis nullo labore ab architecto hujus univerſi non minus etiã à cauſa naturali elevata beneficio motus in ſua γενέσεως principia poſſit reſolvi, nemo non videt, quanto facilius ſit (non autem reſpectu Dei ad cujus potentiam facillima & difficillima æqualiter ſe habent, ſed reſpectu potentiæ creatæ) illum qui fortaſſis jam ſæpius à mundo condito vetuſtate conſumptus & in easdem è quibus concretus erat, partes ſenſibiles dilapſus eſt (ſive lapidis ſive aliam ſuſtentaverit formam) & multorum annorum decurſu iterum corrumpendus eſt, eundem in corpuſcula terrena reſolvere, è quorum deinde varia ratione figuræ modificatione alia atque alia coagmentatione compactione vel forma corporis humani vel lapidis emergat. Quando igitur in hujus orbis Theatro nullum aliud agnoſcendum eſt principium activum niſi MOTUS, & materiæ operationi ſubjectæ omnes etiam minimæ particulæ tam ſenſibiles quam inſenſibiles ad recipiendum quemlibet motum ratione diverſorum graduum intenſive & extenſive ſpectatum, cauſa vero efficiens, (ſi non æqualem afferat virtutem movendi,) vel ad majorem agendi perfectionem evecta, vel majori virtute activa mota excitata atque applicata præcedente motu ſui ipſius corporis ad eundem imprimendum eſt idonea, ad oculum patet, quomodo potentia obedientialis ad miros effectus producendos poſſit elevari. Nec etiam atomi aquæ in nuptiis Canæ Galilææ celebratis in vinũ converſæ propius accedebant

ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

ad naturam aquæ quam vini, ſed in ſtatu libertatis ita formari miſceri ac diſponi potuiſſent, ut plures partes terreas, minus teretes & lubricas, motui minus aptas & viſum transmittentes ſecum traxiſſent, adeoque fluidum craſſius & accedente ſpecialiori modificatione vini naturam conſtituiſſent, eadem dem facilitate, qua formam aquæ è particulis æthereis terreisque motui & pelluciditati aptioribus conſtantem admiſerant. Quin etiam poſtmodum in iis virtutem potentiæ activæ transmutationi & quidem inſtantaneæ peragendæ ſufficientem experientibus nulla erat mora, quin ſtatim aquæ naturam exuerent, ac in aliam nempe vini migrarent. Eodem modo & metamorphoſis baculi in ſerpentem converſi, lapidis in panem convertendi poteſt explicari &c. quæ omnia etiam quibusdam ſubitæ metamorphoſeos ſimulacris, quæ fontes quidem metamorphici ſuppeditant, ut & tranſmutatione Elementorum Symbolicorum particulari & valde inſtantanea potuiſſent illuſtrari, ni hæc ad forum Phyſicum ſpectantia Phyſicis excutienda relinquere maluiſſem. Verum inter omnia ſupra memorata miracula haud injuria ſupremum ſibi locum vindicat actus reſuſcitandi mortuos diei extremi judicii reſervatus. Sed quemadmodum plane repugnat dari Subjectum operationis alicujus, quod actum è potentia activa emanantem recipiat, nec tamen reali gaudeat potentia paſſiva: ita etiam corpori hominis violentia mortis deſtructo atque in minimas partes etiam per totum terrarum orbem ſparſas dilapſo, ut iſtæ particulæ à Salvatore in unum locum congregatæ modificentur, coagmententur, concreſcant atque coaleſcant, animæque in ſuam ſedem reducendæ commodum hoſpitium præbeant, & hoc modo corpus humanum ingentibus iſtis dotibus ut immortalitate (ſublata vero tantum propinqua moriendi potentia) claritate, agilitate exornatum ſplendidius è pulvere ac ruinis ſuis reſurgat, ad actum hunc tam revocationis in vitam quam glorificationis ſecundum ſingulas partes potentiam paſſivam minime poſſe denegari ſole clarius eſt. Atque ſic plane evictum eſſe arbitror, actum iſtum cauſæ inſtrumentalis elevatæ, quæ effe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

ctum miraculoſum producit, ab actu, quem per potentiam naturalem exercet, certis tantummodo differre gradibus, quibus ille hunc ſuperat, & tum potentiæ activæ tum paſſivæ obedientiali, illi ad vires ab agente ſupernaturali conceſſas, huic vero ad motum quem cauſa efficiens imprimit, recipiendum, veram tribuendam eſſe potentiam: quin & omnes effectus miraculoſos ab agente naturali, ſi non producto at in virtute cauſæ ſuperioris latente poſſe produci, multa etiam miracula, quorum S. codex facit mentionem, viribus naturæ peragi hoc tantummodo intercedente diſcrimine, quod quæ natura lento gradu incedens tardius molitur, ac non niſi ſucceſſu temporis perficit, ea virtute ſupernaturali inutilem amputante moram vel unico momento vel exiguo durationis ſpatio inchoentur & conſummentur. Ubi tamen ne in ſuperbiam hac contemplatione labi poſſit creatura, hoc temperamentum probe erit obſervandum, eam nunquam poſſe eo usque elevari, ut ſphæram Objectorum ſuorum, circa quæ naturali potentia verſatur, poſſit excedere, ut jam aliquoties monitum eſt.

§. 29.

Remotis hoc modo omnibus obſtaculis, quæ negotium nobis faceſſere potuiſſent, atque falſa opinione Scheibleri nihil ratione miraculoſorum actuum niſi non-repugnantiam in Subjectis agnoſci debere contendentis, plane ſubruta atque everſa rem ipſam aggredi atque ea argumenta, quibus ſententiam, quam propugnandam ſuſcepi, nullam creaturam à Deo per abſolutam omnipotentiam poſſe elevari, ut ſit cauſa creationis vel principalis vel inſtrumentalis probari poſſe puto, in medium proferre animus eſt. Atque ut ſermonis mei telam inde exordiar, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe arbitror, nullam creaturam auguſtum illum mereri titulum, ut ſummi Numinis in creando cauſa vel principalis vel inſtrumentalis, cujus influxu è nihilo aliquid producatur, poſſit appellari, niſi iſte effectus producendus in ipſius virtute operandi contineatur, atque Ter Optimus Maximus ita cum creatura concurrat, ut non aliam potentiam, quam vel

in-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

invenit à primo ortu ipſi | inditam , ſive ſubſtantialem, ſive | minus , vel ad hunc actum formaliter ipſi inexiſtentem largitus eſt , ad agendum applicet. Si enim creatura pro modulo virium ſuarum agere tentante Deus inſufficientiam ipſius ita expleret, ut ipſe non tantum vel creaturam elevatam juvaret, ut actum è ſua potentia activa emanantē poſſet exercere, vel virtutem ipſius ſua vi divina atque virtute moveret & ad agendum applicaret, atq; hoc modo produceret effectū, ſed iſtum ſuæ potentiæ exequenti immediate producendum imperaret, eumque creatura non niſi jam productum attingeret, non magis creatura iſta rem aliquam è nihilo produxiſſe cenſenda eſſet, quam ipſa creatura, quæ per hunc actum abyſſo nullitatis exempta atque in luce exiſtentiæ eſſet collocata. Dum autem ſenſum hujus quæſtionis hoc modo aperui concluſionem meam tam late extendens, ut omnem ambitu ſuo complectatur creaturam, quam à DEO Ter Optimo Maximo ut vel principalis vel inſtrumentalis cauſæ influxu creaturam extra-nihilū conſtituat, elevari poſſe negavi, non puto, eſſe metuendum, ne hic quiſpiam excipiat, atque ad myſterium incarnationis præcipue vero ad communicationem Idiomatum ſecundum genus conſtituentem provocet (cujus ea eſt ratio, ut humana Chriſti natura non tantummodo intra hypoſtaſin FiliiDei aſſumpta, ſed vi hujus unionis perſonalis totius Majeſtatis divinæ particeps facta etiam in conſortium ac communionem omnipotentiæ ſit admiſſa, ac cū omnipotentiæ divinæ nihil ſubtrahendum niſi quod rationē Entis non habeat, nec contradictionem implicet, etiam humanæ propter arctiſſimam cum divina τοῦ λόγου unionem virtute divinæ omnipotentiæ operanti hæc in agendo eminentia non poſſit denegari, nec ea ab actu creationis excludi) & proinde à me poſtulet, ut theſin meam arctioribus limitibus circumſcriberem , ne humana Chriſti natura incluſa eſſe videatur; futurum alias, ut cum fundatiſſima hac Sacrarum literarum auctoritate doctrinâ adverſa fronte collideretur. Si quis tamen occaſionē hac via ſibi irrumpendi ratus oblatam has concluſioni meæ concutiendæ machinas admoveret, is certe iis copiis atque præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

præſidiis hanc firmatam ac munitam inveniret, quæ non modo ipſam facile ab omni incurſu tueantur, ſed etiam incauti adverſarii temeritatem egregie ulciſcantur. Tantum enim abeſt, ut hæc falſa conſequentia humanam naturam Chriſti non poſſe per omnipotentiam divinam ſibi communicatam creare, inde deduci & Objectione hac argumenta mea enervari poſſint, ut ſi quis modo rem recta reputarit via, ſtatim ſit deprehenſurus Theſes meas cum Theologia revelata quã amiciſſime conſpirare & qui contra diſputet, vix hæreſeos notam poſſe declinare. Quo clarius autem hæc oculis ipſius explendeſcat veritas nec in delicata hac ac tractatu ardua materia errore aliquo labatur, hæc ipſi adhibenda erit cautio, ne dotes finitas humanæ naturæ per iſtam hypoſtaſeos communicationem accreſcentes cum ipſis attributis divinæ naturæ humanitati communicatis confundat, ſed hæc ab illis probe ac accurate diſtinguat. Illarum enim (nempe dotium finitarum) ea eſt ratio, ut humanæ naturæ formaliter ac Subjective inſint, ut in intellectu ſumma ſapientia ac ſcientia, in voluntate bonitas, in appetitu rectitudo &c. quæ quantæ quantæ ſint, finitarum tamen naturam non exuunt. Quis enim ſcientiam Chriſti humano intellectui formaliter inexiſtentem ejusmodi eſſe, ut, quod de Spiritu S. dicitur, divinitatis abyſſos perſcrutetur, ut pari paſſu cum omniſcientia divina ipſi humanæ naturæ communicata ambulet, ac Chriſtus ſecundum humanam naturam per eam ſibi formaliter ac ſubjective inexiſtentem ſcientiam Deum Ter Optimum Maximum adæquate ac perfectiſſime eodem modo, quo ſe ipſum ſummum Numen contemplatur, cognoſcat, niſi qui à bona mente prorſus derelictus & hæreſeos notam incurrere velit, aſſerere unquam auſit? E contrario autem communicatio Idiomatum non in eo ſita ac collocata eſt, quod divina attributa in humanam naturam ſint quaſi transfuſa, formaliter ac Subjective ipſi inexiſtant, ſed quod humanæ naturæ ad tantum provectæ faſtigium, ut eadem hypoſtaſis divinam naturam terminans ac complens etiam humanam terminet ac compleat, omnia attributa divina (tam ἀνεργητικὰ quam ἐνεργητικὰ intercedente tamen ali-

quo

quo diſcrimine) κατ᾽ οἰκονομίαν ac diſpenſative ſint communicata, ut Chriſto ſecundum humanam naturam eorum non tantummodo poſſeſſio ſit conceſſa, ſed & uſus concedatur, ac humana natura (ne à præſenti materia longius abeam) omnipotentia divina omnipotens quemlibet effectum, qui contradictionis non involvit repugnantiam, ac proinde etiam Creaturam è nihilo poſſit producere, ſed ut hanc operationē non per ſuā propriā ac finitam, ſed per divinam, infinitam ac unicne perſonali cōmunicatam exequatur potentiam, ac Filius Dei per ſuam omnipotentiā in humana natura, cum humana natura & per humanā naturam velut inſtrumentum ac organum arctiſſime ſibi unitum hunc creandi actum exerceat, nec actus è potentia activa humanæ Chriſti naturæ emanans ac humanæ naturæ formaliter ut accidens ſuo Subjecto inhæſionis inexiſtens, ſed omnipotentiæ divinæ actus vel ipſa omnipotentia divina effectum attingat. Nec ab hac ſententia diſcrepat omnium orthodoxorum Theologorum calculus, qui ad evitandam abſurdiſſimam naturarum exæquationem non eodem ſenſu humanam ac divinam naturam ab attributis prædicabilibus denominari aſſerunt, ſed immenſum hoc intercedere diſcrimen, quod divina natura (ut exemplum retineam, quo frequentiſſime utuntur licet, ſi quis eo usque progrederetur, ut hunc actum vivificandi in virtutem Chriſti finitam ullo modo cadere poſſe negaret, illi non adſtipularer) καθ᾽ ἑαυτήν humana κατ᾽ ἄλλο vivifi-"
cat & ipſo Chemnitio hoc diſcrimen recte exponente divina"
natura eſſentialiter ſeu per eſſentiam, in ſe ipſa & ſecundum ſe"
ipſam naturaliter τῷ εἶναι eſt vivifica, omnipotens omniſcia."
Aſſumpta vero humana natura in Chriſto nequaquam eſſen-"
tialiter ſeu per eſſentiam, in ſe ipſa aut per ipſam aut formali-"
ter & τῷ εἶναι eſt vivifica, omnipotens, ſed τῷ ἔχειν, quia ſcil."
perſonaliter unitam habet divinam Majeſtatem ac potentiam"
τοῦ λόγου, & illa uniti verbi virtute vivificat, ſicut ferrum ignitum"
virtute uniti ignis candet & urit. Quare humanam naturam"
per omnipotentiam divinam per quam omnipotens recte ſalutatur, hoc in ſenſu poſſe creare, extra omnem controverſiæ

aleam poſitum eſt, nec quisquam, niſi qui in hæreticorum caſtra velit tranſire, hoc negabit, aut ſaltem in dubium vocabit. Sed hæc mihi nullo modo poſſunt opponi, qui creaturam non poſſe à DEO elevari contendo, ut ſive principalis ſive inſtrumentalis munere fungens per ſuam ipſius potentiam formaliter ſibi inexiſtentem etiam ſupernaturalibus viribus auctam vel generali concurſu DEI indigentiæ creaturæ ſubveniente ad agendum provecta vel ipſius divina virtute mota atque ad agendum applicata poſſit aliquid è nihilo producere: quod expreſſis verbis paſſim & præcipue in hoc paragrapho ad nauſeam usque inculcatum eſt, quod ſingulæ paginæ in tenuitate virium creaturarum ob oculos ponenda occupatæ clamant, totius diſſertationis contextus docet, tenor argumentorum potentiam creaturarum metientium demonſtrat. Quo in ſenſu ipſum Chriſtum non excipio, utpote quem ſecundum humanam naturam ut per potentiam ſuam finitam, ab omnipotentia numero atque eſſentia diſtinctam, propriam, ſuæ humanitati formaliter inexiſtentem actu itidem è ſua finita potentia emanante quomodocunque aliquid è nihilo producat, poſſe elevari nego ac pernego; quæ aſſertio non detorquenda eſt ad humanam Chriſti naturam non ſua ſibi formaliter inexiſtente ſed omnipotentia divina communicata operationes ſuas exequentem, quatenus iſta omnipotentia divina ſibi communicata operationes ſuas exequitur. Ut adeo, qui hac Objectione in mea argumenta ſeſe armaret, iisque vel tantillum roboris detrahere conaretur, aut plane cum larvis pugnaret, cum umbris luctaretur; aut turpis Eutychianiſmi labem in ſe recipere cogeretur. Sed hæc, ne longius quam fas eſt, evagari oratio mea arguatur, brevibus monuiſſe ſufficiet. Nunc eo revertor, unde ſum egreſſus.

§. 30.

Qui ergo in hac materia feliciter cupit verſari atque optatam metam tandem contingere, ita ſe gerere debet, ut vires creaturarum non ſolum quæ actu ſunt productæ, ſed etiam, quæ per omnipotentiam divinam produci poterunt, ſedulo inſpiciat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

ciat, diligenter excutiat, ac omnem iis facultatem vel agendi ampliſſimam naturæ creaturarum modo non repugnantem concedat ac largiatur, omniaque perfectionum, quæ ipſarum capit conditio, in eas congerat ornamenta. Quam legem cum mihi à principio ſtatim ſedulo infixi atque inculcavi, non ad indolem harum creaturarum quæ actu productæ partim cernuntur, partim ex effectibus ſuis partim vero é fide cognoſcuntur, oculos mentis intendi, ſed eam mihi propoſui creaturam, quæ nullis imperfectionibus è ſpeciali natura, ortis laboraret, ſed tot dotibus reliquas omnes excederet quot ulla à DEO producenda in infinitum excedere poteſt: & ut paucis multa complectar, omiſſis ſpecialibus quibus à ſe invicem abeunt creaturæ, tantum inſiſtens generali rationi, creaturæ qua creatura eſt, tenuitatem ac impotentiam ipſam ab actu creandi ſive ſit principalis ſive inſtrumentalis cauſa, excludentem duabus notis deprehendiſſe mihi videor, quas ſequenti ordine eruditorum judicio atque cenſuræ ſubjiciam.

§. 31.

Ab iis autem, quæ ſenſibus ſunt propiora, duco initium. Atque ſic primum locum obtinebit iſtud argumentum, cui occaſionem ſimul & medium terminum mihi præbuit inſignis hæc creaturarum in agendo imperfectio in eo ſita, quod potentia, cui effectus ſuam originem debet, non ejus immediatum eſt principium, ſed per ſupervenientem aliquem actum realiter ab ipſa diſtinctum ac ut accidens ipſi ceu ſuo Subjecto inhærentem debet perfici ac compleri. Quorum autem ea eſt ratio atque conditio, ut vires ſuas ad agendum conceſſas explicare non poſſint, niſi actu accidentali, eorum potentiam à parte effectus vel termini & aliquam præexiſtentem requirere potentiam paſſivam & nonniſi accidens vel mutationem aliquam rei exiſtentis producere, eamque tantummodo ad actum ejusmodi, ad quem realem potentiam recipiendi habeat, traducere poſſe, facili negotio demonſtrabo, unde porro prona fluet conſequentia, cum res creanda plane nulla gaudeat potentia reali ac proprie ſic dicta, nec etiam quamdiu non exiſtit potentia

 ali-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

aliqua mutationis ſive actionis receptiva, nec accidens extra ſubſtantiam poſſit creari; nullam creaturam per omnipotentiam divinam poſſe elevari, ut ſit cauſa creationis vel principalis vel inſtrumentalis. Connexio majoris (quam olim etiam à Scoto ſed alio modo & tantum de creaturis actu productis argumentante nec minorem probante propugnatam poſtea vidi) tanta luce radiat, ut qui modo naturam accidentis rite perpenderit, illum pedibus in meam ſententiam iturum eſſe exiſtimem. Etſi enim tantum abeſt, ut negem potentiam agendi in creaturis non eſſe accidentalem, ut potius ingenue fatear, ſæpiſſime illam eſſe de eſſentia rei, imo cuilibet Enti competere eſſentialem cauſandi potentiam, quæ ad majorem perfectionem in eadem activitatis ſpæra poſſit evehi; tamen potentiæ vim atque facultatem non aliunde niſi ex actu, quo in rem influit, cenſendam atque æſtimandam eſſe nemo æquus rerum arbiter, ac cui cum ratione convenit, ibit infitias. Quando autem ea eſt potentiæ imperfectio & actus à potentia procedentis tenuitas atque imbecillitas, ut neque illa poſſit ſine hoc in effectum influere, neque hic per ſe ſubſiſtere, ſed requirat aliquod Subjectum ſive cauſam materialem, in qua ſuſtentari debeat, adeoque omnis activitas in mutatione rei jam exiſtentis conſiſtat, nec effectus majorem acquirere poteſt perfectionem, quam natura cauſæ ut in actu eſt poſita permittat, cuivis ad oculum patebit iſtum terminum productum nihil aliud quam accidens eſſe poſſe; ac quoniam, quod creatur, neceſſario debet eſſe ſubſtantia, hic autem terminus neutiquam ſubſtantia eſſe poteſt, etiam iſto creaturæ actu nihil poſſe creari, ac quoniam ut in minori oſtendemus, nullus alius in ipſam cadit, à creatura plane non poſſe è nihilo aliquid produci. Quod clarius ſic demonſtratur. Nulla cauſa ſive principalis ſive inſtrumentalis ulli rei poteſt eſſe communicare, niſi quæ eam habet rationem, ut ab ipſius potentiæ actu poſſit affici. Cum autem, ut jam jam demonſtrabitur, creatura nullo niſi actu accidentali ſuas vires poſſit explicare, ac in agendo conſtitui, accidentis autem vel cauſalitatis rerum creatarum natura mera mutatione abſolvatur, qua Ens

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

ad illum actum, qui in ipſius jam extra nihilum conſtituti potentia vera ac reali paſſiva continetur, tantum poteſt traduci: omni demonſtratione certius, omni probatione majus eſt, quod tali potentia non gaudet, ut poſſit à cauſa iſta ipſi mutatio, quam ipſa ut Subjectum recipiat, imprimi, plane huic in agendo potentiæ non ſubjacere, atque adeo quoniam res quæ creanda eſt, plane nullam habet potentiam, antequam exiſtat, quæ ad actum traducatur, & ad mutationem recipiendam ſit idonea, ſed ipſi plane repugnat, etiam ex nihilo nihil à tali cauſa poſſe produci. Non puto fore, ut Peripatetici Ariſtotelis auctoritate formas ſubſtantiales ſtatuentis decepti mihi litem ſint moturi objicientes eas itidem non aliter niſi motu è potentia cauſæ efficientis emanante generari: ipſi enim nullo monente ſtatim agnoſcent nihil roboris inde argumentationi huic decedere, cum actioni huic, cujus beneficio formæ ſubſtantiales generantur, aliquod Subjectum ſit ſubſtratum, in cujus potentia lateant per motum denique educendæ atque in Subjectum inducendæ, ab eo in fieri, eſſe & operari dependeant, è quo etiam ſe mutuo deſtruentes expellant: quomodo autem hoc pacto formas ſuas ſubſtantiales plane in accidentia degenerantes tueri ac contradictionis laqueum poſſint effugere, ipſorum erit diſpicere. Nec minus faciles ſe mihi præbebunt quidam Scholaſticorum, qui licet in eum maleſani errorem prolapſi, ut accidens extra Subjectum per abſolutam omnipotentiam DEI conſervari poſſe contendant, nihilominus tamen ipſi actionem & paſſionem excipiunt, utpote quorum (quemadmodum etiam reliquorum accidentium) ea eſt ratio, ut neque actio accidentalis ſine agente, à quo tamen realiter eſt diſtincta, nec paſſio accidentalis ſine Subjecto, à quo itidem realiter eſt diſtincta mente concipi ac intelligi poſſit, atque adeo tum actio tum paſſio (ut & cœtera accidentia) per inhærentiam in Subjecto debeant definiri.

§. 32.

Promoveo nunc pedem ad probationem minoris, quæ erat talis:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

O. Creaturæ ea eſt ratio, ut potentia ipſius agendi non immediatum effectus ſit principium, ſed per ſupervenientem actum realiter ab ea diſtinctum, ipſique ut accidens ſuo Subjecto inhærentem debeat perfici atque compleri.

Poſſem hic, ni brevitatis ſtudium prohiberet, per duo generaliſſima rerum creatarum genera pervagari, atque in ſingulis hanc potentiæ imperfectionem oſtendere, & quidem in materialibus ipſa res pro me loqueretur. In immaterialibus poſſem ad modum intelligendi imperfectum provocare certas ſpecies intelligibiles impreſſas requirentem realiter ab eſſentia diſtinctas, atque inde etiam de actionibus transeuntibus concludere: poſſem etiam alias proferre rationes, quæ itidem minori faverent. Verum quoniam hæc demonſtratio à ſpecialibus creaturarum actu exiſtentium imperfectionibus petita, ut ſupra memini, firmo talo niti non videtur, propterea quod pertinax adverſarius hanc unica exceptione, alias ut omittam, ab ingenioli noſtri anguſtia atque imbecillitate deſumptâ non capientis perfectiones, quibus Deus vel has vel alias in virtute cauſæ primæ adhuc latentes poſſit exornare, facile poteſt eludere; optimum factu ratus ſum firmius fundamentum minori ſubjicere, neque è ſpecialibus ſed affectione eſſentiali omnibus creaturis communi filum argumenti educere. Valde quidem hæc controverſia Thomæ Aquinatis contra gentes diſputantis & ad naturam Angelorum delati torſit ingenium, nihil tamen magno conatu protulit, quam conjecturas cum formidine oppoſiti conjunctas. Adrianus vero Heerbord eandem tractans materiam realem hanc diſtinctionem eſſentiæ Angelicæ itidem ut Scotus ab actu intellectus nude tantum ſupponit. Mihi autem, cui quicquam aſſerere religio eſt, cujus rationem non animo ſubductam habeam, hæc realis diſtinctionis non tantum in Angelis ſed & in omnibus creaturis tam quæ productæ ſunt, quam quæ unquam produci poſſunt, inter eſſentiam vel naturam & actum cauſandi quemcunque ſive immanentem ſive transeuntem, intercedentis neceſſitas per abſolutam omnipotentiam Dei immutabilis hoc ratiocinio, quod poſt longæ inquiſitionis laborem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

rem tandem menti ſeſe offerebat, quam optime poſſe demonſtrari videtur: Omnis operatio conſiderata à parte cauſæ operantis requirit aliquam potentiam agendi, à qua dependere concipitur vel ratione tantum vel re ipſa à ſua potentia diſtincta. Nam à negatione potentiæ ad negationem actus rectiſſime concluditur. Iſta autem potentia aut ſibi ipſi ſufficit ad exiſtendum, aut non, ſed à cauſa ſuperiori dependet. Si ſibi ipſi ad exiſtendum ſufficit, ab actu ſuo non poteſt realiter diſtingui, quod alia occaſione à nobis urgendum erit. Si autem à cauſa ſuperiori dependet, non poteſt non realiter ab actu ſuo diſtingui, quia ſi actus non diſtingueretur à potentia, eſſet ſua ipſius potentia, eſſet cauſa ſui ipſius, quod implicat, etiam per ſuam ipſius potentiam ſine influxu ſuperiorioris ſubſiſteret q. e. a. Creatura autem dependet à ſuperiori in fieri, eſſe, & operari. E. potentia creaturæ ad operandum ab actu ſive ab operatione realiter eſt diſtincta.

§. 33.

Non me fugit ſecundam rationem, quam oſtenſurus potentiam operationis à cauſa ſuperiori dependentem ab actu ſuo neceſſario diſtingui, in medium protuli, non ab omnibus ſtatim applauſu iri exceptum, ſed multos ſuo jure à me poſſe exigere, ut connexionem prædicati cum Subjecto nova aliqua ac ſubſidiaria ratione firmem: à quibus peto, ut exiguam ſenſibus ſuis patientiam injungere, ac evidentiam, quam deſiderant, aſſertionis meæ à ſubſequenti argumento ex ipſis viſceribus cauſæ depromto velint expectare, quo non tantum à me, ut ſpero, demonſtrabitur, nullam creaturam habere aut habere poſſe veram & proprie dictam exiſtendi potentiam, ſed habitudinem iſtam reſpectu Creatoris tam cum primum exiſtentiæ momentum occupat, quam poſtea in perpetuum, cum & à DEO & quamdiu ab ipſo conſervatur, meram tantummodo eſſe non-repugnantiam ſive indifferentiam ad exiſtendum; ſed etiam exinde eadem opera alia concluſio nullam creaturam à DEO poſſe elevari per abſolutam omnipotentiam, ut cauſa creationis ſit vel principalis vel inſtrumentalis, priori adamantino vinculo jun-

cta

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

cta deducetur. Quo felicius autem munere meo fungar, è theſi tertia repetendum erit, quid ſit Creatio, Creator, Creatura. Eſt autem creatio actus ejusmodi, quo Ens Enti ſimpliciter non-exiſtenti exiſtentiam largitur; & Creatoris nomine inſignitur is, à quo talis influxus ad eſſe ſimpliciter tendens procedit; creatura autem, quæ cum nullam haberet Entis rationem, quam poſſidet, à cauſa totam accipit. Non autem cadere in creaturam realem, poſitivam ac intrinſecam exiſtendi potentiam, quanquam veritas hujus aſſertionis ex evidenti terminorum connexione jam pateſcit, omnium Philoſophorum ac Theologorum conſenſu ac ſuffragio ſancita, axiomatica inſuper dignitate nobilitata, tamen ne cuiquam vel minima dubitandi relinquatur occaſio, illud hoc modo probandum eſſe duco: Si creatura haberet realem, poſitivam ac intrinſecam exiſtendi potentiam, eam haberet vel 1. antequam exiſteret vel 2. primo momento, quo exiſtere inciperet, vel 3. omnibus reliquis momentis inſequentibus, quibus exiſtentia ipſi in primo collata conſervaretur. Non autem gaudere poteſt hac reali, poſitiva & intrinſeca exiſtendi potentia, antequam exiſtat, quoniam hoc modo jam exiſteret, antequam exiſteret, vel exiſteret, cum nondum exiſteret. Quodcunque enim realem, poſitivam ac intrinſecam habet potentiam exiſtendi, illud ſtatim exiſtere, nec poſſe à potentia exiſtendi actum exiſtentiæ eſſe ſejunctum inde patet quia (α) quod realem poſitivam ac intrinſecam exiſtendi habet potentiam, illud ad exiſtendum plus quam meram non-repugnantiam affert; quod autem ad actum exiſtentiæ plusquam meram non-repugnantiam affert, illud non eſt nihil ſive-non Ens, ſed plusquam nihil ſive non-Ens. Quodcunque enim nihil eſt, ſive plane ac ſimpliciter non exiſtit, illud non tantum ad eſſe & non-eſſe eſt indifferens, ſed ex ſe potius tendit ac inclinat ad non-eſſe, quia ſibi relictum non poteſt exiſtere, ut autem exiſtat, cauſa eget extrinſeca, quæ ei totam rationem Entis conferat. Quod ergo non eſt nihil ſed plusquam nihil, illud non tantum Ens reale eſt, ſed actu exiſtit, ita ut non exiſtere repugnet; nihil enim & Ens nullo medio diſparan-

rantur, nec inter ea, quæ ſimpliciter non exiſtunt, Objecta tamen omnipotentiæ divinæ fieri poſſunt, ulli dantur gradus (β) ſi Ens antequam exiſteret, haberet vel habere poſſet veram realem, poſitivam ac intrinſecam exiſtendi potentiam, & ab ea potentia vel actus exiſtentiæ unico ſaltem momento poſſet avelli atque ſeparari, poſtea, quando per eam potentiam exiſteret, aut inter illius potentiam & exiſtendi actum intercederet realis diſtinctio aut non: in priori caſu non per ſuam ſed per potentiam alienã cauſæ extrinſecæ exiſteret vel cauſa eſſet ſuiipſius: in poſteriori autem, ſi nulla inter potentiam exiſtendi & actum exiſtentiæ intercederet realis diſtinctio, itidem fuiſſet cauſa ſui ipſius atque ſic & extitiſſet & ſimul non extitiſſet; extitiſſet quoniam ſibi exiſtentiam contuliſſet; non extitiſſet, quoniam exiſtentia ipſi primum erat conferenda. Unde ſi daretur hujusmodi Ens, quod realem, poſitivam ac intrinſecam exiſtendi haberet potentiam, iſta potentia exiſtendi ipſius eſſentiam vel conſtitueret vel conſtitutam conſequeretur; ſi autem iſta potentia ipſius eſſentiam vel conſtitueret, vel conſtitutã conſequeretur, & quemadmodum jam demonſtratum eſt, ab iſta potentia actꝰ neutiquam poſſit ſejungi, (ut adeo à cōmuni Philoſophorũ regula hæc poſitiva realis ac intrinſeca exiſtendi potentia ſit excipienda) ſed illa potentia vi intrinſeca exiſteret, τὸ exiſtere huic Enti eſſet eſſentiale & eſſentiã ipſius vel conſtitueret vel conſtitutã conſequeretur, ac cũ eſſentiæ rerũ ſint æternæ ac im̃utabiles & impoſſibile ſit prædicatum eſſentiale rei cum re, cujus eſt prædicatum, non eſſe aut fuiſſe ab æterno connexum, (fuiſſet enim Ens hoc modo eodem momento, quod eodem momento non fuiſſet) manifeſtum eſt, hujusmodi Ens, quod habet realem poſitivam ac intrinſecam exiſtendi potentiam, non tantum extitiſſe ab æterno, ſed ab æterno ita extitiſſe, ut non potuerit non-exiſtere ab æterno, ſed per ſuam potentiam atque à ſe & independens à DEO extitiſſe, & nunquam poſſe non-exiſtere, & durationem ipſius eſſe interminabilem exiſtentiæ totam ſimul & perfectam poſſeſſionem, imo ut paucis me abſolvam, non eſſe creaturam, ſed DEum Ter Optimum Maximum q. e. abs. Quæ ultima ratio quamvis tantum habeat ponderis, ut non modo creaturam an-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

tequam extiterit, non habuiſſe exiſtendi potentiam, ſed etiam eandem neque in primo momento, quo exiſtere incipit, neque in reliquis inſequentibus momentis eam poſſe ſuſtinere ſole clarius demonſtret, tamen ex abundanti hanc rationem ad ſingulos ſtatus creaturarum applicare non videtur ab inſtituto meo eſſe alienum. Non autem gaudet creatura hac reali ac poſitiva exiſtendi potentia in primo momento, quo exiſtere incipit, propterea, quod cum omnis exiſtendi potentia realis poſitiva ac intrinſeca vi ſui ipſius exiſtat, nec ſaltem per unicũ momentum exiſtentia poſſit deſtitui, ſi hoc modo in primo momento hanc realem & poſitivam exiſtendi habuiſſet potentiam, ſtatim in primo momento vi ſui ipſius intrinſeca extitiſſet, atque ſic cum creata eſſet ab alio, non tamen ab alio creata eſſet, ſed potius veram in ſemetipſam exercuiſſet cauſalitatem, atque adeo in ſenſu affirmante à ſe extitiſſet q. e. a. Nec magis poſt primum exiſtentiæ momentum anguſta fortuna atque tenuis creaturæ conditio hanc realem poſitivam atque intrinſecam exiſtendi capit potentiam, quia in primo exiſtentiæ momento ea caruit, ac plane eodem modo reſpectu ſecundi momenti ſe habet ac reſpectu primi ſeſe habuit: cum enim in primo momento nulla realis, poſitiva atque intrinſeca ipſi ineſſet potentia exiſtendi, quantum in ipſa erat, ſtatim poſt elapſum τὸ νῦν indiviſibile primum evanuiſſet, niſi dextra omnipotentiæ divinæ eundem influxum, quo extra nihil conſtituebatur, continuando ruituram ſuſtentaſſet. Non itaque major virtus reſpectu ſecundi momenti ipſi poteſt tribui, quam reſpectu primi non-Ens habet ad exiſtendum. Præterea, ſi in ſubſequenti momento hac exornaretur potentia, illa vel ipſi Enti, ut ſuo Subjecto per modum accidentis deberet inhærere, vel ipſius Subſtantiam aut eſſentiam aut conſtituere aut conſequi: in priori caſu nihil magis abſurdum atque à ratione alienum poteſt excogitari, quam eam rem, quæ ab Ente ſuo quod afficit, in fieri, eſſe & operari dependet, Ente ſuo natura ad minimum eſt poſterior, eſſentiam non conſtituit, conſtitutam non conſequitur, ſine qua quidem Ens poteſt exiſtere, illa autem non

ſine eo ceu ſuo Subjecto exiſtere poteſt, ſed ſui ſubjecti indiget exiſtentia, qua ſuſtentetur; Ens poſſe conſervari atque ita reſpectu ſui ipſius veræ cauſæ rationem habere. Eadem Argumentatio locum inveniret, ſiquidem potentia ſubſtantialis exiſtendi ipſi concederetur, ea autem nihilominus per actum à potentia diſtinctum ac potentiæ ceu ſubjecto ſuo inhærentem perfici ac compleri deberet. Non autem potentiam ſubſtantialem exiſtendi ab actu exiſtentiæ non diſtinctam ipſi poſſe tribui fuſe ac prolixe jam probatum eſt. Cum itaque imbecillitati creaturarum in exiſtendo plane repugnet, ut vel unico momento reali poſitiva ac intrinſeca exiſtendi potentia poſſint gaudere, manifeſtum ſimul eſt, nec ab ullo ſane mentis homine in dubium vocari poteſt; quin ſingulis exiſtentiæ ſuæ momentis (primo tamen excepto) dimittente cauſa ſuperiori à qua in eſſe dependeant, ſuum influxum, ad nihilum poſſint revocari. Procedunt alias communiter Philoſophi in demonſtranda hac creaturarum non tantum in fieri, ſed etiam in eſſe dependentia plane alio modo, ſed qui nemini recta via rem reputanti ſe poteſt approbare, nec etiam ſuos Auctores extra reprehenſionis aleam conſtituit: Provocant enim ad eminentiam omnipotentiæ divinæ, cui cum nihil ſit ſubducendum quod contradictionis repugnantiam non involvat, annihilari autem creaturam non implicet, palam eſſe putant quamlibet creaturã à Deo poſſe annihilari: non poſſe autem Ens annihilari per actionem poſitivam, quia poſitiva actio tendit ad eſſe, non vero ad non-eſſe. E. per negationem vel omiſſionem actionis vel influxus rem ejusmodi ad nihilum debere revocari. Si autem per actus omiſſionem Ens exiſtentiam poſſit perdere, neceſſe eſſe, ut ab iſto actu dependerit, qui nihil aliud ſit quam influxus divinus, è quo ut creatura exiſtentiam hauſerit, etiam ſine illo, non poſſe tueri. Quo ſane pacto ordinem naturæ immutabilem plane invertunt (loquor autem de Philoſophis, quibus qua Philoſophis nonniſi ex lumine naturæ annihilatio poſſibilis innoteſcit) ac dependentiam creaturarum per annihilati-

onem poſſibilem, quæ poſterior priorem cauſam virtualiter cauſantem agnoſcit, præmiſſam per concluſionem, medium terminum per affectionem vi medii termini demonſtrandam probare atque ex ignotioribus notiora colligere conantur. Quibus ſi ulterius inſtes probationem minoris ſuæ exigens, eo usque temere progreſſos eſſe videbis, ut aut obmuteſcere, aut quod eodem recidit, terminos Philoſophiæ tranſire, ac in Theologiam revelatam irruere, aut perfectum ac uniformem circulum deſcribere cogantur.

§. 34.

Sic neminem fore arbitror, niſi plane omnem humanæ naturæ ſenſum exuerit, & animus ipſius ad rectam rationem obduxerit callum, qui non huic argumentationi album adjiciat calculum, ac eam eſſe creaturarum omnium tenuitatem, ut ſingulis exiſtentiæ momentis à Deo dependeant, nec quicquam tam ad conſervationem quam ad creationem niſi meram nonrepugnantiam afferant, utraque manu mihi largiatur. Supereſt nunc, ut oſtendam hanc imperfectionem creaturæ nulla gaudentis vera exiſtendi potentia alteram nexu indivulſo cum priori cohærentem ſecum trahere impotentiam, quæ eam ab actu creandi ſive principalis ſive inſtrumentalis cauſæ partes obeuntem ſummoveat: quo in negotio etiam ex ſententia rem ſucceſſuram non deſpero. Si enim creatura ad exiſtendum plane indifferens cauſam ſuam, quæ ipſi exiſtentiam largitur, nullatenus juvare, & ne minima quidem parte operæ ſublevare poteſt, ſed totam Entis rationem ab ea expectat, omnino neceſſe eſt, ut tota ipſius exiſtentia à potentia extrinſeca dependeat: Ubi autem exiſtentia Entis alicujus à cauſa aliqua dependet, ibi in ea cauſa requiritur potentia realis poſitiva ac intrinſeca exiſtendi (nam à negata potentia ad negationẽ actus legitima procedit conſequentia) Quodcunque autem Ens gaudet potentia reali, poſitiva ac intrinſeca exiſtendi, illud ſua potentia exiſtit, nec a cauſa ſuperiori dependet. Dari autem in ejusmodi cauſa potentiam realem poſitivam ac intrinſecam exiſtendi reſpectu ſui ipſi9, quanquam fortaſſis nemo vocabit in dubiũ, inde tamen (alias ut omittã rationes) ad oculũ patet, quia ubicunq; datur

po-

potentia, ibi non tantumodo dari poteſt effectus ab iſta potentia, dependens, ſed etiam cauſalitas ſive actus è ſua potentia emanans, per quem id, quod cauſa eſſe poteſt, actu conſtituitur cauſa, imo iſta cauſalitas neceſſario natura terminũ actionis præcedere cauſamq; ſuam perficere debet; quoniam alias impoſſibile eſt, ut ab ea poſſit effectus produci. Qui cauſandi actus vel à potentia ſua eſt diſtinctus, eiq; ut accidens ſuo Subjecto inhæret, vel etiam eſſentiã ſuæ potentiæ ingreditur, ab ea tantumodo in ſigno rationis non vero reapſe diſtinctus: quorum prior agendi modus in creaturas cadit, poſterior vero Ter Optimo Maximo peculiaris ac proprius eſt, adeo ut nullam creaturam in ejus ſocietatem poſſit admittere. Quando ergo in creatura aliqua exiſtendi potentia qua Entis adæquata eſſe cauſa poſſit, daretur, non ſufficeret, ut iſta potentia vere & actu exiſteret, ſed requireretur inſuper, ut actus cauſandi ſive cauſalitas eſſet ipſius exiſtentia, atque adeo creatura ſua ipſius intrinſeca reali ac poſitiva exiſtendi potentia exiſteret; quod impoſſibile eſſe ſole clarius eſt demonſtratum. Non poſſe autem operationem cauſæ non-Enti exiſtentiam largientis quicquam præter exiſtentiã cauſæ ipſius eſſe, manifeſtum eſt inde, quod Terminus cauſalitatis in creatione eſt exiſtentia, quæ non in aliqua potentia paſſiva latere poteſt, ſed tota à ſua cauſa dependet, & ex ipſius potentia quaſi effluit, cum autem effectus nulla plane exiſtendi gaudens potentia exiſtentiã à ſua cauſa non poſſit accipere, niſi ea actu cauſandi, quo virtutem ſuam exſerit, contineatur, (quemadmodum enim plane repugnat rem aliquam exiſtere, quæ exiſtendi actu deſtituatur, ſic non minus impoſſibile eſt, eam ad exiſtentiæ actum elevari niſi ejusmodi cauſalitate quæ eſt exiſtentia) palam eſt, ſi Entis alicujus cauſalitas non ipſius ſit exiſtentia, ſed quidam actus inferior vel modus indigens ſui ſubjecti, qua ſuſtentetur, exiſtentia, nec quod ipſe non poſſideat, beneficio ipſius Enti ſimpliciter non-exiſtenti poſſit conferri; nihil hujusmodi actu poſſe è nihilo produci, ac ubi terminus actionis eſt exiſtentia, ibi operationem debere eſſe exiſtentiam, nec aliter non-Ens à ſua cauſa niſi illud actu exiſtentiæ afficiendo poſſe actuari. Si ergo hujusmodi cauſæ, quæ aliquid è nihilo producit, operatio cauſali-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

litas, actus cauſandi nihil aliud eſſe poteſt, quam ſua ipſius exiſtentia, qua extra nihilum conſtituitur, & iſte actus ex ipſius potentia fluit: (ab ea tamen non niſi ratione diſtinctus) non poteſt vocari in dubium, quin hujusmodi cauſa per ſuam veram realem poſitivam ac intrinſecam exiſtat exiſtendi potentiam, adeoque evidens eſt, eam non poſſe non-exiſtere, ſed exiſtere, quoniam ipſius naturam aut conſtituit, aut conſtitutam conſequitur, ipſi eſſe eſſentiale. Cum ergo jam probatum ſit, actum exiſtentiæ non eſſe creaturæ eſſentialem, & vero influxus, quo nihil actuatur, à nulla cauſa procedere poſſit, niſi cujus naturā exiſtere vel ingrediatur vel conſequatur, invicta ſtat concluſio nullā creaturam poſſe à Deo per abſolutam omnipotentiam elevari, ut ſit cauſa creationis vel principalis vel inſtrumentalis (quid quod etiam quod in exiſtendo à nemine dependet, cum agere ſit ipſius exiſtere, nec à quoquam in agendo poſſit dependere) q. e. d. Atque his argumentis, quæ pro ingenioli mei tenuitate Lectoris accurato judicio ſubjeci, etiam hac in parte creaturæ ſuperbiam ultra modum ſeſe efferentis nimiosque ſpiritus ſibi ſumentis in ordinem eſſe redactam, ipſiusque potentiam certis limitibus ac terminis, quos excedere nequeat, eſſe concluſam omnino mihi habeo perſuaſum: nec puto quenquam futurum, qui non examinatis rationum harum ponderibus in eandem veritatem amice mecum conſpiret, ac fateatur tantam actionis hujus, qua è nihilo aliquid producitur, eſſe eminentiam, ut in exiguas ac finitas creaturarum vires ſive principalis ſive inſtrumentalis cauſæ munere fungentium non cadat, ac proinde ſoli relinquendam eſſe illi,

ὃς ἔκτισε τὰ πάντα, καὶ διὰ θέλημά ἐ εἰσὶ, καὶ ἐκτίσθησαν;

ᾧ μόνῳ θεῷ, πατρὶ, υἱῷ, καὶ πνεύματι ἁγίῳ δόξα

καὶ τιμὴ εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2057